John Coakley Lettsom. M.D.F.R.S.
London.
Dum Spiras Spes.
No 6589.

M
a 4 4

T3

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TAVARES, F.

DE
PHARMACOLOGIA.

FRANCISCI TAVARES

MEDIC. DOCT. IN CONIMBRIC. UNIVERSIT. MAT. MED. ET PHARMAC. P. P. O. REG. SCIENT. ACAD. LISBONENS. SOC. CORR.

DE PHARMACOLOGIA LIBELLUS.

ACADEMICIS PRAELECTIONIBUS ACCOMMODATUS.

Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.
Ovid.

SOCIETY
DICAL

CONIMBRICAE:
Ex Typographia Academico-Regia. An. C. CIƆIƆCCLXXXVI.

Regiae Curiae Cenſoriae permiſſu

Proſtat apud J. P. Aillaud.

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam . . . .

Manil.

MARIAE I.

FIDELISSIMAE LUSITANORUM

REGINAE

&c. &c. &c.

P. F. D.

FRANCISCUS TAVARES.

POSTQUAM *pro maxima* TUA *benevolentia* REGINA, *ac* DOMINA CLEMENTISSIMA, *inſtituendae Juventutis circa Materiam Medicam provincia immerenti mihi demandata fuit*, *id mei mu-*

neris

neris eſſe grata ſaepius memoria recordatus ſum, ut meam erga Te *aliquando reverentiam publico, etſi tenui, teſtarer monumento. In eadem hac, quam edocere imperâſti, Medicinae parte*

huic

huic meae in TE *obſervantiae ſignificationi opportunam ſors obtulit occaſionem; eamque avidiſſimè arripere, & officium meum, & innumera, quae* CELSISSIMAE MAJESTATI TUAE *accepta*

debeo,

debeo , beneficia ſuadent. Benigno igitur accipe vultu munuſculum , quod ad pedes MAJESTATIS TUAE *humillimè devolvo ; puſillum equidem grati animi ſpecimen ; quod tamen manifeſto*

niſeſto indicio ſit me in id praeſertim, ſummoque ſtudio contendere, ut impoſito muneri, quantum vires tulerint, faciam ſatis; Regiaque TUA *gratia idcircò me non indignum praeſtem.*

D.

D. OPT. MAX. TUAM *nobis incolumem diu tueatur vitam, quo nihil antiquius, nil gratius, nil jucundius in votis habeo.*

AUDI-

AUDITORIBUS SUIS

F.

FRANCISCUS TAVARES,

QUAE in proprios uſus ex aſſidua lectione, meditatione, & obſervatione in pugillaribus meis ſparſa quidem, & vaga admodum circa Pharmaciam collegeram, ea nunc debito ordine tractata vobis offerre in animo eſt. Veſtrae tantummodo utilitatis avida, nec interrupta cupiditas taedioſo ſanè labori operam navare ſuaſit; neque id abſque ſincera ſuſcepti muneris poenitentia eveniret, niſi ſpes foret eum aequis rerum aeſtimatoribus non eſſe diſpliciturum. Multa quidem ſunt, & à probatiſſimis Auctoribus de Pharmacologia tradita in quibus tamen, vel inconcinnus ordo, vel ipſa rerum copia, & eruditionis

tionis abundantia taedio ſunt illis potiſſimùm, quorum animo nondum elementari quadam inſtitutione formato, quidquid ſimplicibus non innititur fundamentis, difficultatem parit maximam. In uberrimo enim hujuſmodi librorum proventu, alii rerum egeſtate, alii enormi copia diſcentium animos territura peccant. Novi equidem CARTHEUSERI, VOGELII, WALLERII, SPIELMANNI, BAUMEI, LEWISII, & aliorum Cl. Cl. Virorum, quos vel nominare longum foret, labores, & in Rempublicam Litterariam merita, eosque vobis Auctores commendare non deſinam; certus cum ſim in eorum operibus bonae frugis cuncta proſtare depuratiſſima, & quotidie conſulenda; vobis tamen improbum, & fortaſſe ſterilem ſuffectura laborem. Nova, & inaudita vobis obtrudere ne cogitavi quidem; in tanta nanque Rei Medicae ſplendidiſſima luce ali-

aliquid velle novum adjicere arduum, perdifficile, meisque viribus impoſſibile judicavi. In colligendis ſparſis, ordinique ſubmittendis totus fui, utque rectè facerem, omnem impendi curam, & diligentiam adhibui. Compendiorum Pharmaceuticorum, qua laboramus, penuria, ut hocce, veſtrum gratia, munus ſuſciperem, in cauſſa fuit; animo, operis licet difficultate preſſo, aſſiduè volvens, Tyronum utilitatem pompoſo, aut ſaepius vacuo rerum praecipiendarum apparatu minime inniti, & promoveri; in eoque tantùm rei cardinem eſſe, ut quae tradenda ſunt, ea repoſita ſub luce, & brevitate ſint, qua illa facili negotio

Percipiant animi dociles, teneantque fideles. Horat.

Ordini idcircò inſtiti, quantum fieri potuit, compendioſo, & ſim-

ſimplici, à ſimplicioribus, & notiſſimis ad abſtruſiora, & magis compoſita viam parans; quod ſi rectè factum, & abſolutum deprehenderitis, erit, cur impenſè gaudeam. Interim valete, ò Boni, mihique veſtrae ſemper utilitatis ſtudioſo benigne favere pergite.

Dabam Conimbricae &c.

PROLEGOMENA.

§. 1.

EA *Chemiae Medicae* pars, quae circa medicamentorum Electionem, Collectionem, Aſſervationem, ſeu Repoſitionem, Praeparationem, & Mixtionem, aut Compoſitionem verſatur, *Pharmacia*, *Ars Pharmaceutica*, *Pharmaceutice*, *Pharmacologia* in Chemicam, & Galenicam olim, malo ſane conſilio, diſtributa, dicitur.

§. 2.

SUPPONIT Hiſtoriae Naturalis, & Chemiae non perfunctoriam, ſed ſolidam notitiam, ut tum hiſtorica medicamentorum cognitio, tum eorum commoda praeparatio habeatur.

 §. 3.

§. 3.

RES naturales ſub medicamentorum titulo C. H. adplicandae, vel (1o.) ſimplices crudae ſunt; vel (2°.) praeparatae, aut compoſitae uſui Medico in Officinis aſſervantur; extẽporaliterve (3°.) paratae, & mixtae, prouti Medici praeſcriptio jubet, expediuntur. De crudis ſimplicibus medicamentis, eorumque naturali deſcriptione, nomine item Officinali, Botanico, triviali; tempore, & modo vegetationis plantarum; viribus Medicinalibus, per ſuas cauſas, & experientiam notis, quae omnia *Electionis* fundamenta ſunt propriè agit Materia Medica; iisque idcircò ſuperſedere dictat ratio. Simplicia ad uſum Medicum colligenda, reponenda, adſervanda; uti etiam ex his praeparata, & compoſita, ſive extemporanea Magiſtrali praeſcribantur

bantur formula, ſive jam parata in ulteriorem reponantur uſum; *Pharmacia* curat.

§. 4.

QUANTA ex hacce, prout decet exculta, Medicinae parte & aegris, & Medico commoda ſint; ex eo vel maxime patet, quia Miniſtris (quod dolendum!) non ſolum operationum, verum etiam cognitionis medicamentorū omnimode ignaris haec provincia demandata utplurimum ſit, quos interim Medicus dirigere, quinimmò docere, ſi propriae famae, & aegri rebus conſulat, tenetur. Ejuſmodi iterum Pharmacopoei ignorantes, aut lucripetae innumeras propemodum fraudes, quid pro quo ſubſtituentes, patrant Medico in Pharmacia hoſpiti ſemper ignotas, in aegrique damnum, & perniciem nulla cavendam arte abituras. Maxima

autem (experto crede) inde petenda utilitas eſt, ut Medicus omnes, quotquot ſunt parandi medicamenta modos ſciens, & dirigens veram concinnandi formulas adipiſcatur methodum, quam toties ab expertiſſimis licet, & longa praxi exercitis Profeſſoribus infeliciter praeſtitam intuemur. Eleganter, ut ſui moris erat, & nervoſe ſic exclamat Cel. H. D. GAUBIUS (*De method. concinn. formul. medicament.* §. 8.) *Quî enim Pharmacopoeo dabit leges, ignarus ipſe agendorum? Quomodo delectus fieri cum ratione poteſt rerum ignotarum? . . . . Turpe dictum, & odioſum, quam multa erronea paſſim occurrant, futilia, abnormia, repugnantia, quae tametſi, velut ex tripode pronuntiata, vim legis habere debeant, ſuorum nihilominus dictatorum inſcitiam adeo manifeſte produnt, ut vel Pharmacopoeorum tyronibus nonnunquam ſe-*

ſe

ſe deridendos propinent, *quandoque & diris devovendos*. Providentiſſime igitur Academica lege cautum eſt, ut Tyrones Medici eam Medicinae partem ſedulo, naviter, & ex profeſſo diſcere teneantur, quam celebriores per Europam Medicos Hippocratem, & alios Medicinae Principes imitantes, exercere non piguit.

§. 5.

Primus poſt electionem, quam ex Materia Medica diſcimus, Pharmacopoei labor circa medicamentorum collectionem dirigitur; dein in praeparandis iis tota abſolvitur Ars Pharmaciae; quibus praemittenda inſtrumentorum inter paranda medicamenta adhibendorum, ponderum quoque, menſurarum, & caracterum hyeroglyficorum notitia.

PARS

PARS PRIMA.

Vasa, et Instrumenta Pharmaceutica.

§. 6.

Instrumenta, & vaſa in Officinis inſervientia varia ſunt, differuntque tum ratione *officii*, tum ratione *materiae*, & *formae*. Officii ergo alia *activa* ſunt, ut ignis & aër; alia *paſſiva*, horumque iterum alia medicamentorum praeparationi, alia adſervationi inſerviunt. Materiae reſpectu alia fiunt è lapidibus, alia è terris, vitris, metallis, lignis, ebore, corio, linteo, panno, &c. quibus determinata *forma* accōmodatur, prouti illorum requirit officium, & materia permittit. Suntque

Aheni

Aheni variae capacitatis cuprei ſtanno obducti.

Alembici cuprei ſtanno interius obducti; ſtannei; terrei; terrei vitreati; vitrei.

Veſicae ſimiles.

Aluduli ex vitro, argilla, ſtanno, ſive ollae fundo carentes, fundove perforato.

Ampullae vitreae.

Bilances magnitudinis variae.

Catini terrei vitreati, & non vitreati.

Colatoria ex panno, linteo, charta emporetica.

Conchae vitreae, vel terreae vitro defenſae.

Cochlear deſpumatorium.

Circuli ſtraminei.

Cribra.

Crucibula varia.

Cucurbitae cupreae ſtannatae; vitreae; terreae vitreatae.

Cultri.

Excipula terrea, & vitrea.

Forcipes.

Furni

Furni; praecipuè autem, & omnium ad inſtar, furnus Baumei.

Infundibula vitrea potiſſimùm.

Lagenae.

Limae.

Mortaria aenea; ferrea; plumbea; lapidea; vitrea diverſae magnitudinis cum piſtillis.

Ollae ex ferro, argilla, cupro, ſtanno obductae.

Phialae vitreae.

Porphyr cum curſore.

Praelum, ſeu Torcular.

Pyxides ligneae.

Retortae ſimplices, & tubulatae.

Setaceum ex crine.

Spathulae vitreae, ligneae, eburneae, aeneae, ferreae.

Vaſa pro balneo arenae, & pro balneo maris.

Luta varia, ſive quod obturandis vaſorum rimis, & juncturis adaptatur.

§. 7.

§. 7.

Lutorum autem genera ſunt: Veſica, aut inteſtina ſuilla madida; calx viva cum ovorum albumine; amylum aqua ſubactum chartae, aut linteo illitum, & alia. Si autem de *loricandis*, id eſt, defendendis vaſis ignis aperti vim perlaturis, ope cruſtae, quam *loricam* appellant, agitur, reſiſtentiſſimum lutum, ipſum fuſionis ignem ſuſtinens, eſt illud, quod fit ex una argillae parte, & tribus carbonis aqua ſubactis. Igni validiſſime omnium ad inſtar reſiſtens erit, ſi tribus argillae luteae communis arenoſae partibus una minii cum aqua ſubigatur. — Vel, ſi una minii cum duabus dictae argillae, & una ſabuli pulverati in aquae ſ.q. miſceatur. — Sive lutum à Cl. Wallerio deſcriptum, quod decem argillae partibus non vitreſcibilis pulve-

pulveratae, & cribratae, duabusque lithargyrii partibus ſanguine, & crine bovillo unitis, conſtat.

§. 8.

Haec inſtrumenta (§. 6.) quatenus materiae diverſitate variant, ſic etiam medicamentis aptioribus, ineptioribus-ve reddendis diverſimode faciunt. Ergo (*) *Vitrea* reliquis fere omnibus elegantia, munditie, & convenientia praeferantur. (**) *Terrea* vitreis magis, minus-ve ſuccedant; quae autem è terreis vitreata ſunt, ob plumbum, ex quo vitrum illud conficitur, acidis quibuslibet patens, in eorum praeparationibus evitentur. (***) Simili quoque modo metallica inſtrumenta, & vaſa praecipue ex aere, aut cupro, licet ſtannato, fabrefacta pro praeparandis medicamentis interne adhibendis exulent; eaque tantum ex ar-

gento,

gento, vitro, terra, porcellana, & ſ. p. facta in uſu ſint.

De Ponderibus, et Mensuris, atque eorum hyeroglyficis caracteribus,

§. 9.

Sunt ponderandis ſolidis, & menſurandis liquidis diverſa Officinis cognita utenſilia; ſunt variae anguſte, & ſtrictim ſcribendi normae, quas etiam notas habere neceſſarium eſt. Solidis determinata doſi exhibendis dicata ſunt à Veteribus pondera, quae ſigillatim tradere ad calcem operis ſtatutum eſt; dum de ponderibus uſitatis nunc agere decrevimus.

§. 10.

Granum, Graecis Σιταϱιον; Gallis *Grain*; Anglis *A Grain*; Hiſpanis *Grano*; Luſitanis *Graõ*; minimum

nimum pondus eſt, quo in Officinis utimur; ſeminis hordei, aut tritici ponderi aequale; metallico tamen Aurificibus uſitato pondere librandum.

§. 11.

Ut pro regionum, immo & urbium diverſitate innumerae pene dantur ponderum diverſitates, ita varia quantitas eſt granorum Scrupulum ſic dictum conficientium. Septemtrionalibus Regionibus *Scrupulus* (Gall., & Angl. *Scrupule*; Hiſp., & Luſit. *Scropulo*) continet grana viginti; apud Hiſpanos, Gallos, & Noſtrates viginti quatuor granis aequalis eſt; quae probe attendenda varietas eſt, ne in errorem forſan inemendabilem incidamus.

§. 12.

Drachma, Gall. *Drachme*; Angl.

gl. *A Dram*; Hiſpan., & Luſit. *Outava*, tres continens ſcrupulos, grana ſexaginta, aut ſeptuaginta duo, prout (§. ant.) notatum eſt, pendet.

§. 13.

UNCIA Graec. Ὀγκια, Gall. *Once*, Angl. *Ounce*, Hiſpan., & Luſit. *Onça* duodecima eſt *librae* medicinalis pars octo drachmis conſtans; eidem igitur varietati (ac §. 11.) obnoxia.

§. 14.

LIBRA Gall. *Livre*, Angl. *A Pound*, Hiſp., & Luſit. *Libra, arratel*, apud Medicos uncias duodecim pendet; apud Mercatores ſexdecim, unde nomina = *Librae medicinalis*, & *Civilis* = iiſdem (§. 11.) varietatibus inquinata.

§. 15.

§. 15.

Unicum foret omni errori vitando remedium, ut convenirent omnes, quod ponderaret

Libra- *Unc.* - - - XVI.
Uncia-*Drach.* - - VIII.
Drachma-*Scrup.* - III.
Scrupulus *gr.* - XXIV.

Granum ſupradictam quantitatem, ut in libra Civili ſolemne eſt, & Gallis uſitatum.

§. 16.

Manipulus Gallis *une poignée*, Angl. *Hand full*, Hiſpan. *Manipulo*, Luſit. *Manipulo*, *maõ chea*, *mancheia*, cujus moles eſt quantum tota manu comprehendi poteſt; tres dicitur drachmas aequare, ſive pugillos tres.

§. 17.

PUGILLUS Graecis Δεσμίδιον, Gallis *une pincée*; Angl. *Small hand full*, Hiſpan., & Luſit. *Pugillo*, capit quantum pollice, duobusque primoribus unius manûs digitis adductis tolli poteſt: herbis, & floribus menſurandis, ut manipulus, inſervit, & unius drachmae pondere aeſtimatur.

§. 18.

FASCICULUM, Gall. *Braſſée*, *faſcicule*, Hiſp., & Luſit. *mólhada*, ſeu quod ſub brachio complicato comprehendi poteſt, aliqui cum manipulo (§. 16.) confuderunt.

§. 19.

LIQUIDIS menſurandis inſerviunt 1°. *Menſura* quadraginta octo unciis aequivalens, ſive libris menſu-

menſuralibus quatuor; Gall. *deux pintes*; Angl. *A Meaſure*, Hiſp. atque Luſitan. *Canada*.

2°. *Libra* igitur eadem lege (ac §. 14.) duodecim unciis menſuralibus aequivalet, quae *medicinalis*; ſexdecim, quae *civilis* dicitur. Haec eſt quam Galli *Chopine*; Nos vero *Quartilho* dicimus, & Angli *Pint*; Hiſpani vero *Aſumbre*.

3°. *Congius* iterum libras octo habet, quem, ſi è civilibus (n°. 2°.) conficiatur libris, Angli *Gallon* vocant.

4°. *Uncia* è drachmis octo conflata, ſive duodecima librae medicae pars.

5°. *Cochleare* pro ſemuncia habitum Gallis *Cuillier*, *Cuillerée*, Angl. *Spoonfull*. Luſit. *Colher*, & Hiſp. audit *Cochara*.

6°. *Gutta* pro Grano inter pondera ſubſtituitur. *Goutte* Gallis; Angl. *Drop*; Hiſp., & Luſit. *Gôtta* dicitur.

§. 20.

§. 20.

OMNIA pondera, & menſurae (§. 10 — 19.) biſſecari ſolent, gutta excepta; eorumque dimidia pars vocabulo *ſemis*, vel *ſemiſſis*; aut mox deſcribendo caractere deſignari ſolet.

§. 21.

ILLUD autem attentiſſime notandum, quod, cum non eadem ſit menſurandorum liquidorum natura, & ſpecifica gravitas, dictae menſurae (§. 19.) locum tantummodo habeant, quando de menſurandis Aquis, Decoctis, Ptiſanis, & ſimilibus agitur: Olea, Spiritus, Syrupi pondere, non menſura, diſpenſanda.

§. 22.

SOLEMNIS mos apud omnium fere

fere Nationum Medicos invaluit, ut brevitati conſulentes, non tantum haec pondera, atque menſuras caracteriſticis deſignarent notis, verum etiam alias ſtrictim ſcribendi normas adjicerent. Conſultius agerent, ſi in tantae molis negotio à compendiis, & caracteribus abſtinentes, nonniſi diſtinctiſſimis, pervulgatis, minime aequivocis, eodem, ac ſonant, modo pro caracteribus, verbis uterentur; niſi forte formulae prudens, immo aliquando neceſſaria occultatio conveniens ſit, Pharmacopoeo declaranda. Hoc autem modo ſingula deſignantur.

lb I.	ſignificat	Libram unam.
lb β		Libram ſemis.
℥. j		Unciam unam.
℥ß.		Unciam ſemis.

ʒ.j		Drachmam unam.
ʒß.		Drachmam ſemis.
℈.j		Scrupulum unum.
℈ß.		Scrupulum ſemis.
Gr. j.		Granum unum.
Faſc.		Faſciculum.
Man.		Manipulum.
Pug.	ſignificat	Pugillum.
N°. ii. iij. &c.		Numero duo, tria, &c.
āā, ana		Aná, quod idem, ac
P. e.		Partes aequales.
Q. S.		Quatnum ſatis, quantum ſufficit.
S.A., E.A.		Secundum Artem; ex Arte.

B. M.	ſignificat	Balneum Maris.
B. V.		Balneum Vaporis.
B. A.		Balneum Arenae.
Cochl.		Cochleare.
Gutt.		Guttam.
℞. R. Rec.		Recipe.
M.		Miſce.
F.		Fiat.
S.		Signaturam.

Alia ſuperſunt Chemica ſigna ad peculiarem, operis fini adſigendam, tabulam releganda.

§. 23.

SIMPLICIUM quoque, & compoſitorum plura uno ſub titulo comprehenſa in Officinis intelliguntur. Quae ſic habeto:

Radi-

Radices quinque aperientes maiores.

Apii . . . . *Aipo.*
Aſparagi . . . . . *Eſpargo.*
Foeniculi . . . . *Funcho.*
Petroſelini . . . . *Salva hortenſe.*
Ruſci . . . . . . *Gilbarbeira.*

Radices quinque aperientes minores.

Capparis . . . . . *Alcaparras.*
Eringii . . . . . *Cardo corredor.*
Graminis . . . . . *Grama.*
Ononidis . . . . *Unha gata.*
Rubiae Tinctorum . *Ruiva dos Tintureiros.*

Quatuor herbae emollientes.

Malva . . . . *Malva.*
Althaea . . . . . *Malvaiſco.*
Viola . . . , . . *Beneſe.*
Branca urſina . . *Erva Gigante.*

Mer-

Vel

Mercurialis . . . *Mercuriaes.*
Beta. . . . . *Acelgas.*
Parietaria . . . . *Alfavaca de cobra.*
Atriplex . . . . *Armolez.*

Quatuor herbae Carminantes.

Chamaemelum . *Marcella galega.*
Anethum . . . *Endros.*
Melilotus . . . *Coroa de Rey.*
Ruta . . . . . . *Arruda.*

Quinque herbae Capillares.

Capillus Veneris . *Avenca.*
Trichomanes . . *Avencaõ.*
Ceterach . . . . *Douradinha.*
Ruta muraria . . *Ruta muraria.*
Scolopendrium . *Lingua cervina.*

Flores quatuor Cordiales.

Borraginis. . . . *Borragem.*
Bugloſſi . . . . *Lingua de Vaca.*
Roſarum . . . . *Rozas.*
Violarum . . . . *Violas.*

Semi-

Semina quatuor frigida minora.

Cichorei . . . . *Almeiraõ.*
Endiviae . . . . *Chicoria.*
Lactucae . . . . *Alface.*
Portulacae . . . *Beldroégas.*

Semina quatuor frigida maiora.

Citrulli . . . . *Melancia.*
Cucumeris . . . *Pepino.*
Cucurbitae . . *Cabaço.*
Melonum . . . *Melaõ.*

Semina quatuor calida minora.

Ammeos . . . . *Ammeos.*
Amomi . . . . *Amomo.*
Apii . . . . . . *Aipo.*
Dauci ſylv. . . *Biſnaga.*

Semina quatuor calida maiora.

Aniſi . . . . . . *Erva doce.*
Carvi . . . . . *Chirivia.*

Cymi-

Cymini . . . . *Cominhos.*
Foeniculi . . . *Funcho.*

Quatuor farinae reſolventes.

Fabarum . . . *Favas.*
Hordei . . . . *Cevada.*
Orobi . . . . . *Chicharos.*
Secalis . . . . *Senteio.*

Quatuor aquae Cordiales.

Bugloſſi, aut . . *Lingua de Vaca,*
Borraginis *ou de Borrag.*
Cichorei . . . . *Almeirañ.*
Endiviae . . . . *Chicoria.*
Scabioſae . . . . *Scabioſa.*

Alia adhuc ſuperſunt ſub eodem titulo comprehenſa; veluti ſunt quinque *Myrobalanorum* genera, tria *Santalorum*, totidem *Piperum*; aquae *Capitales*, *Hepaticae*, *Spleneticae*, *antipleuriticae*; *fragmenta lapidum praetioſorum*; olea *ſtomachica*, unguenta *calida*, & *frigi-*

frigida hodie, & merito quidem, oblivioni tradita. Quot namque inconcinna! Quot abnormia! Quot futilia!

SIMPLICIUM COLLECTIO, REPOSITIO, DURATIO.

§. 24.

PHARMACOPOEUS medicamentorum collectioni incumbens, quae ex vegetabilium familia uſurpari ſolent, loci natalis imprimis cuilibet pro ſua natura peculiaris, & expectatis reſpondentis viribus, notitiam ſibi perſpectam habeat. Praeterquam enim quod non omnis fert omnia tellus, id certiſſimum quotidiana experientia evincitur, quod vegetabilia montoſis, arenoſis, aridis, vento perflatis locis nata non ſolum eis, quae uliginoſae, paluſtres, & humoſae terrae nutriunt, & haec iterum illis, pro varia ratio-

ne

ne, virtute praeſtent; verum; ejuſdem licet generis omnino ſint, qualitatibus diſcrepantia, & viribus inveniantur. Loci quoque natalis mutatione, aut cultura adeo variant, non ſolum virtute, plantae, verum etiam habitu, & quandoque fructificatione, ut vix eaedem aeſtimari poſſint.

§. 25.

Hinc (§. ant.) naturalis exſurgit in colligendis vegetabilibus regula: *eae, quae alio prae aliis loco enaſcuntur, plantae, quo tamen integras, & immutatas ſibi privas qualitates poſſident; uti etiam ſponte heic, vel illic vegetantes cultis praeferendae.*

§. 26.

Inter colligendas autem plantas uſui Medico deſignatas id circa locum, quo varia illarum laeti-

laetius vegetat tribus, in univerſum tenendum

I. Quamplurimas, diverſiſſimae licet virtutis, eodem provenientes ſolo reperiri; non ideo tamen promiſcue ubicunque enatas plantas colligendas; iterata namque obſervatione conſtitit

II. Plantas aromaticas, oleo eſſentiali ſcatentes, loco ſicco enatas valdopere à ſimilibus in locis humidis vegetantibus differre, hisque praeferendas. Coniferae reſinoſae arbores, verticillatae fragrantes exemplo ſunt; & umbellatae, quae aromaticae ſunt, viribusque medicis pollent, dum in ſiccis; venena vero evadunt acria, dum in aquoſis terrae tractibus germinant. Paucas excipias.

III. Humoſum, & pingue ſolum Stellatarum, Aſperifoliarum, Columniferarum, Siliquoſarum, Bulboſarum edulium, & venenatarum, Lacteſcentium, Cichoracea-

rum

rum amararum, quas Linneana Syngeneſiae claſſis ſuppeditat, quin & Graminum, & Cerealium nutritioni favere: hic loci idcirco hujuſmodi plantae colligendae.

IV. Fruſtra in depreſſis terrae locis quaeri ea vegetabilia, quae altis montium cacuminibus, ipſas inter nives procreantur; aquis ſtagnantibus, fluviis, aut mari inhabitantes alibi non provenire aeque certum eſt: alia demum aliis fruſtra locis quaeri, quam in arenoſis, umbroſis, ſaxoſis, ſepibus, ruderibus, ſegetibus &c. quae omnia ex hiſtorica quorumvis deſcriptione cognoſcenda.

V. Paraſiticas plantas virtutem ab aliis, in quibus vegetant mutuantes, eadem penitus ratione, his tantum adhaerentes colligendas.

VI. Horaeos fructus, quos nec juniores, nec jam effoetae producunt arbores, ſicco ſolo, in aëre

aëre libero, aut cultae, aut ſponte provenientes, caeteris praeſtare.

§. 27.

Ex his (§. ant.) aliae exſiccatae aſſervari poſſunt, & debent, juxta leges mox dicendas; earum quippe virtus jacturam exſiccatione non patitur, ſed potius augeri videtur; aliae autem recenter omnino in uſum trahi debent, quoniam inertes penitus, dum exſiccantur, evadunt. Prioris generis ſunt aromaticae (L. C. II.) bulboſae venenatae, ſiliquoſae, ſtellatae (L. C. III.) paraſiticae (V.); dum reliquae humoſis provenientes locis, & aquis inhabitantes, (IV.) praecipue autem cruciformium familia antiſcorbuticam vim à partibus volatilibus, (ſive alkalinae eae ſint, ſive acidae oleo tenuiſſimo volatili intime unitae,) habens, poſterioribus adnumerantur.

§. 28.

§. 28.

Non abſimili modo pro varietate regionum animalia variant adeo, ut non modo peculiaria ſibi nonnullae vendicent regiones, quin eadem aliorſum translata natura plurimum differre obſerventur.

§. 29.

Habet quaelibet planta, & pars ejus ſuam maturitatem, quae non tempore tantum anni, & dierum numero, ſed ex ipſius rei natura aeſtimatur. Quae in planta igitur perfecta ſunt, ni peculiari conſilio imperfecta expetantur juxta propria cujuſque ſpeciei ſigna, magnitudinem, puta, figuram, colorem, odorem, atque ſaporem eligenda, loci natalis cuilibet proprii habito reſpectu. Quod de plantis indigenis probe tenendum; de exoticis namque ex

ſola

ſola AA. fida deſcriptione cum determinato Naturae producto collata prudens judicium ferre datum eſt.

§. 30.

De radicum colligendarum tempore AA. diſſentiunt : aliis Ver, Autumnus aliis placet. Eas tum proficue evellendas fore, cùm maxime medicamentoſae ſint, prudentia dictat, & quum adhuc ea ipſis inſunt, quorum privatione, & abſentia, vires earum minui, aut integre aboleri conſtat.

§. 31.

Tempus maturitatis (§. 29.) igitur in genere conſulendum; procul enim dubio eſt aliis Ver, Autumnus, AEſtas, aut Hyems *balſamicum* Helmontii *tempus* dicenda.

§. 32.

Sunt vegetabilium radices; quas prae nimia humiditate verno tempore, etiam nondum explicitis foliis colligere, piaculum; praeter enim parcam principiorum proportionem, exſiccatione multum de earum viribus, & ſubſtantia decedit, vermibusque patent. Sunt, quas Autumnus lignoſas reddit, & prae ſiccitate inutiles; quae omnia evitantur incommoda, ſi floreſcentiae tempore noto, atque vegetationis modo, hac, vel illa anni tempeſtate evellantur, vel nondum formatis foliis, vel fructificatione finita. Optimae tunc temporis ſunt, quando nec valde flaccidae, & humidae, nec nimis lignoſae, & durae. Bulboſis omne tempus colligendis cō̄modum.

§. 33.

§. 33.

TERRA, & ſordibus lotione repurgatis; corruptis, aridisque fibrillis ablatis; lignea medulla, ſi adſit, rejecta; cortice ſervato; integrae, ſi tenues; per longitudinem fiſſae, ſi digiti, aut pollicis craſſitie; in orbiculos tres, aut quatuor lineas craſſos tranſverſim ſectae, ſi craſſiores; integrae, etſi craſſae, ſi aromaticae ſint: in umbra, trajecto filo, ſuſpenſae, loco perflabili, modicae, lentaeque exſiccationi ſubjiciantur; ſiccatae aſſerventur. Exiguae quolibet anno mutentur; craſſiores, denſae triennium durant.

§. 34.

HERBAE ſereno coelo, ſub meridiem eo tempore AEſtatis legendae, quo folia, quoad omnes magnitudinis coloris, & odoris

dotes, vigent, antequam flores explicent; iis exceptis, quarum folia, floreſcentiae tempore, dura, & exſucca evadunt; ut *cichoraceae* &c. Capillares ſic dictae ex filicum familia, maximo praeſente foliorum vigore colligendae; ſummitates, non adhuc explicatis foliolis.

§. 35.

Probe attentis, quae (ad §.29.) dicta ſunt, herbae adſervandae vel radicum lege (§. 33.) ſiccentur, rejectis rejiciendis; vel, rapido propemodum proceſſu, ad Solis calorem, aut hippocauſti, ſuper linteis, ut aër libero potiatur tranſitu, mutata frequenter ſuperficie, exponantur, vario in caloris gradu, pro varietate principiorum volatilium: neceſſaria cautione adhibita, ne ſub dio, aut tempeſtate pluvioſa moram patiantur. Atque ubi probe fue-

fuerint exſiccatae, quod color nativus quamperfectiſſime ſervatus indicat, lignea pyxide intus papyro obducta incluſae, aut vitrea, quod ſatius, ſuppellectile ab aëre, ut fas eſt, ſubere defenſae aſſervantur, anno elapſo, vix activae.

§. 36.

FLORES mediocriter expanſi carpantur, ſerena, & ſicca tempeſtate, ante meridiem: roſarum floribus exceptis, ante expanſionem legendis. Siccandi, aſſervandi, (ut §. ant.), ſingulis annis renovandi.

§. 37.

LABIATORUM plures odorem à calycibus mutuantur; florentes ideo ſummitates colligendae, aut rectiùs calyces tantum, quibus quaeſita virtus ineſt, corolla decidua, ultra annum vix perſtituri.

§. 38.

§. 38.

Semina matura excipienda antequam ſponte excidant, ſiccari incipientia, foecibus, lapillis &c. repurgata, & leviter exſiccata, loco ſicco, non calido reponantur, ſive oleoſa emulſiva, ſive farinoſa, ſive ſicca lignoſa ſint. Quae prae vetuſtate vermibus patuere, aut ſenſibilem in odore, aut ſapore proprio alterationem ſunt paſſa, pulverulenta reddita rejicienda: quod ut vitetur, ſingulis vertentibus annis, innovanda.

§. 39.

Carnosi fructus, è quibus ſemina (§. 38.) quoque colliguntur, dum perfectam nacti fuerint maturitatem optime nutriti, bihorio poſt meridiem, ſicca tempeſtate lecti; atque recenter vel in aëre ad Solem expoſiti, vel in

in clibano exſiccati; ſicco, non calido loco ſervandi. Meſpili, Cydonia, Sorbi, & ſimiles fructus adſtringentes immaturi excerpantur in annum duraturi.

§. 40.

Ligna ex arboris trunco caeſa, reſinoſa, ſolida, gravia, aquae fundum petentia, optima. Quae indigena ſunt, hyberno tempore excidenda, aſſervanda, tempore non definito.

§. 41.

Lignorum cortices (juxta legem §. 31.) alii Vere, alii Autumno evellendi; hac tempeſtate non reſinoſi; illa reſinâ referti; manu, ſi leviter adhaerent; ferro, ſi tenacius; abradentur, ſi tenues, & membranoſi ſint: annoque elapſo, aliis locum cedant.

§. 42.

Maturis fructibus decerpendi eorum cortices; communi exſiccationis ſolaris methodo ſiccentur: annoque vertente, ab aliis ſubſtituantur.

§. 43.

Animalia, & mineralia quam perfectiſſima ſunto. Valent, quandiu non ſunt corrupta.

PARS

PARS SECUNDA.

De Praeparationibus Pharmaceuticis.

PULVERISATIO.

§. 44.

Mechanica operatio, cujus ope ſubſtantiae diverſi generis in particulas minores, ſive pulverem rediguntur, *Pulveriſatio* Pharmacopoeis audit. Differt eam exequendi modus pro varietate ſubſtantiarum in pulverem redigendarum; atque ideo vel *Contuſione*, vel *Porphyriſatione* peragitur.

§. 45.

Contusioni, quae ſolius mortarii, & piſtilli beneficio fit, cedunt corpora ſicca, friabilia, non admo-

admodum dura. Quae autem duriora cenſentur, ut mineralia, praevia contuſione, extinctione ex igne, limarum actione, &c. *Porphyriſationi* ſubmittenda,

§. 46.

Quae ſolius contuſionis actione pulverantur, diverſi cum ſint generis, vario quoque operationis modo tractanda; ſicque

1°. Ligna, magnae radices, oſſa animalium, cornua, fructus duri, nuclei, &c. ſimilia limae operationem paſſa contuſioni ſubmittantur.

2°. Radices fibroſae, cuticulâ raſâ, in parva fruſta diſſectae, probè, ut dictum (§. 33.) exſiccatae in pulverem redigendae: parvae ab omni immunditie liberae; *Ipacacuanhae* vero radix, lignoſo meditullio rejecto: *Sennae* folia, folliculis, ſive ſiliquis exceptis.

3°. Her-

3°. Herbis pulverandis caules, & pediculi rejiciendi; certaque obtenta pulveris quantitate, reliquum ejiciatur.

4°. Tenues floſculi, & plantarum ſummitates facile in aëre libero molleſcentes intra duplicem chartam igni expoſita ſiccentur, ut pulveriſationi cedant; quod etiam de *Croco* intelligendum.

5°. Semina ſicca farinoſa communi (§. ant.) lege in pulverem fatiſcunt: quae vero oleoſa, ut ſemina quatuor frigida (§. 23. & §. 38.) ſubſtantiarum ſiccarum conſortio contundenda; alias in paſtam abeuntia. Saccharo utplurimum miſcentur.

6°. Gummi-reſinae, peracta debita B. M., aut ad ignem exſiccatione, tempeſtate ſicca, & frigida, *trituratione* in mortario, id eſt, piſtillo in orbem acto, non contundente; oleo non admixto, uſui extemporaneo dicatae, pulveran-

verandae. Paucas, ut *Myrrham*, *Gummi hederam*, excipias contuſioni obtemperantes.

7°. Gummi ſimplicia, ſeu propriè ſic dicta gummi, e. g. *Arabicum*, *Tragacantha*, tempeſtate ſicca, fundi mortarii, & piſtilli ad ignem calefactione praevia, in pulverem abeunt.

8°. Reſinae ſiccae, friabiles, ſola trituratione indigent; nullo adjecto oleo; contuſione namque, & mortarii fundo, & piſtillo tenaciter adhaerent. *Camphora* tantillo ſpiritus vini rectificati teratur.

9°. Animalium partes in pulverem redigendae, ut *Caſtoreum*, B. M. exſiccandae.

10°. In pulverandis acribus (*Cantharidibus*, puta, *Euphorbio*, & rel.) mortarium corio ad piſtillum ligato operire oportet; nares interim goſſypio oleo amygdalarum dulcium imbuto obturentur, osque panno defendatur.

11°. Omni-

11°. Omnium (1°. — 11°.) contuſorum ſubtilior pulvis per ſericeum cribrum, vulgo *Tamís*, rarius, denſius-ve à reliquo ſeparandus; & vel extemporaliter diſpenſandus, vel in vitris probe clauſis adſervandus, ſi ejus fert natura.

12°. Oculis inſpergendi pulveres Ophtalmici, ſive *Collyrium ſiccum* dicti; ut & è mineralibus ſubſtantiis facti, ſingulari adhibita cura, elaborentur, ut pulvis ſubtiliſſimus evadat. Hoc autem *Porphyriſatione* obtinetur.

13°. Cavendum diligenter, ne quid carioſum, exeſum, aut immundum pulveribus immiſceatur.

§. 47.

Quae ſuper tabula lapidea è marmore, ſilice, aut porphyre, ſuperficie laevi, & aequali, alio ancillante, horiſontaliter moto lapide, *curſore* dicto, Gallis *mole-*

molete, Noſtratibus *molêta*; ut ſubtiliſſimus fiat pulvis, inſtituitur operatio, *Porphyriſatio* nuncupatur; & contuſionem (§. 45.) ſupponit praemiſſam.

§. 48.

Utplurimum, quo facilior evadat, aqua pura, liquores-ve appropriati *porphyriſandae* ſubſtantiae adjiciuntur; &, operatione finita, paſta mollis adhuc per calamum ſcriptorium, aut infundibulum ſimile bacillo adacta, ſupra chartam emporeticam, formâ conicâ, excepta exſiccatur, & ſub *praeparati* nomine adſervatur. Sin autem alterari, decomponi-ve ſint faciles, aquâ adjectâ, eaedem ſubſtantiae ſine liquido operationem ſubeant. Talia cenſentur cornua, & oſſa animalium calcinata. Limatura ferri veró Angeloti machina, ex duabus ferri laminis facta, alia fixa,

alia horiſontaliter mota, in pulverem commodius terenda.

§. 49.

Si impalpabilis, ut decet, pulvis deſideratur, qui, nec contuſione, & cribratione debita, nec porphyriſatione, obtineri potuit; ſi materia nec in aqua ſolubilis, nec ſpecifice illa levior ſit; multa ſuperaffuſa aqua in vaſe idoneo, multoties, & frequenter concutiendo, ut delicatiſſimus pulvis in aqua ſuſpendi aptus ſuſpendatur, craſſiori deciduo; liquido decantato turbido adhuc, ſubſidentia impalpabilis habetur; craſſiorque remanens pulvis novae Pulveriſationi ſubjiciatur, ut novum dictum proceſſum iterum ſubeat.

§. 50.

Compositi pulveres, ſeu qui ex variarum ſubſtantiarum pulveribus coaleſcunt, habito reſpectu ſubſtantiarum, (juxta leges §.46.) ſinguli ſeorſim fiant, mixtique demum, triturationis ope, intimius uniantur.

EXPRESSIO.

§. 51.

Si recentes herbae, fructus, aut ſemina tundantur, ut eorum ſuccus facilius obtineri poſſit, preſſionis beneficio, ejuſmodi operatio in Officinis *Expreſſio* nuncupatur, cujus hic eſt proceſſus. Expreſſioni ſubjicienda vegetabilium pars ab alienis impuritatibus libera in mortario marmoreo, ligneo ancillante piſtillo, ſimplici contuſione, plus, minus, pro

pro ſubſtantiae differentia, forti; donec non in pulpam, ſed in paſtam abeat, tractetur. Sacco dein ex crine fortis texturae incluſa, ligata, praelo committatur duos inter ligneos orbes. Cochlea ſenſim, & gradatim adacta, fortiter demùm paſta urgeatur, donec ſuccus lentè tantum exire incipiat; cochlea tum remiſſa, ſacco cum contentis agitato, novae ſubmittatur expreſſioni, donec nihil tandem ſucci exprimatur. Sicca paſta rejecta, ſuccus adſervetur uſui.

SUCCI.

§. 52.

SUCCI è vegetabilibus eliciendi I. Aquoſi; II. Mucilaginoſi, aut III. Oleoſi ſunt; variam idcirco ante operationem praeparandi methodum poſtulant.

1°.) Aquoſi, ſi ex caulibus, &

& foliis plantarum exprimendi ſunt, illud obſervandum, quod ſint vegetabilia recentia, recenter ante Solis ortum lecta; lotis, & probè à ſordibus, & terra inhaerente purgatis, ſuccus (ut §. ant.) exprimatur.

2°. Si mucilaginoſi ſint è vegetabilibus inodoris proliciendi ſucci, addito aquae tantillo, maceratione ad aliquot horas inſtituta, exprimendi: quae methodus cum *cichoraceis* jam adultis, & *Borragine*, *Bugloſſo*, & ſic porro utenda. Hacce neglecta cautione, periculum eſt, ne, rupto linteo, incepta operatio peſſum abeat.

3°. Si mucilaginoſi è vegetabilibus aromaticis expetantur ſucci, eâdem penitus methodo, parandi, adhibita cautione, ne maceratio inſtituatur; ſtatimque, ac vegetabilia, aqua inſperſa, madeſcunt, operationi ſubjiciantur: maceratio namque fermentatio-

tationi favet, & haec volatilium principiorum deperditioni.

4°.) Idem de mucilagineis radicibus dicendum, ac (2°.) dictum fuit de ſimilibus plantarum partibus. Quandoque prius radendae.

5°.) Florum ſuccus ſimiliter parandus; ſuppoſitis ſupponendis.

6°.) Fructus, qui (*a*) craſſo ſunt cortice, interimque ſuccoſa carne inſtructi, cortice, ut exprimantur, liberandi; qui (*b*) carne paululum dura, & non adeo ſuccoſa gaudent, tyrocneſti radendi, antequam praelo urgeantur; qui denique (*c*) tenui veſtiuntur pellicula, durumque nucleum habent, hoc exempto, cum pellicula caro operationem ſubeat, ne volatilia diſſipentur; cùm nullum in pellicula preſſioni obſtaculum ſubſit. Obtinendi ita ſunt (*) *Aurantiorum* ex. gr. ſucci, manu prius contuſa pulpa, loco

frigido, ad unum, aut duplicem diem macerata, ſtraminibus deinde probè lotis, & in fruſta ſciſſis interpoſitis, ut cum eis mucagineum ſecedat parenchyma. Obtinentur etiam (**) ſucci *Pomorum*, & ſucci *Prunorum*, & ſimilium. Omnes hi fructus ante perfectam maturitatem legendi, ut exprimantur, eo temporis minus mucilaginoſi, non adeo ad fermentationem, & corruptionem proni; ideoque acini, ſi adſint, ante expreſſionem extrahendi, rejiciendi.

7°.) Succi ex herbis, radicibus, foliis, floribus, & fructibus exprimendi, ſi diverſae penitus ſubſtantiae ſint, (ut hucuſque dictum, & praecipue N°. 2°. & 3°.) è re eſt ſicciora, & viſcoſiora aquoſo principio abundantibus commiſcere, ut expreſſio commodè inſtituatur.

8°.) Succis ſervandis vaſe vitreo concluſis oleum commune ad

ad duorum digitorum eminentiam ſuperfundendum, ut aëris arceatur aditus.

9°.) Emplaſtrorum, unguentorum, aut alii externae medicamenti formulae deſtinati ſucci depuratione non indigent; aliàs depurandi, ut mox dicendum.

10°.) Singulis renoventur annis, ad ſumum biennio tranſacto.

OLEA PER EXPRESSIONEM.

§. 53.

VEGETABILIUM ſeminibus, nucleis, & corticibus oleoſi contenti ſucci exprimendi, *unguinoſa pinguia*, aut ſic dicta *olea eſſentialia* nominantur *per expreſſionem parata*; ne confuſioni ſubſit occaſio inter haec, & olea *per coctionem facta*, & iterum *olea eſſentialia* deſtillationis ope obtenta, de quibus ſuo loco.

Olea pinguia.

§. 54.

Olea pinguia in cellulis, ſubſtantia pulpoſa, amygdalis, aut ſeminibus vegetabilium, diverſa, pro vario maturitatis gradu, copia, & bonitate utplurimum continentur; nec minori iterum facilis, aut difficilis expreſſionis varietate inter ſe differunt. Sunt enim

(α) Semina maximam olei pinguis quantitatem exhibentia, *emulſiva* dicta, facili adeo negotio oleum largientia, ut ſimplici digitorum preſſione effluat.

(β) Compacta adeo ſubſtantia alia gaudent, ut, contuſione praemiſſa, expoſitione ad ebullientis aquae vaporem indigeant.

(γ) Leviter torrefieri exigunt alia, ut ſuperfluae humiditatis pars avolet, intimaque viſcoſitas atte-

attenuetur pro operationis facilitate concilianda.

§. 55.

PARUM equidem pro uſu medico intereſt acria, an dulcia ſemina ſint oleum pingue fuſura; hujus namque eadem omnibus eſt natura, niſi acrimonia prae vetuſtate empyreumatica ſit: ſeminis *Ricini* purgante, & ſeminum plantarum umbellatarum pingui eſſentiali mixto, oleis exceptis. Multum vero refert, qui fuerit praeparationis modus.

§. 56.

SINT igitur exprimenda ſemina emulſiva matura, recentia, probe nutrita, & (ut §. 38.) ſiccata, prae vetuſtate, aut aſſervationis modo non rancida, neque verminoſa; mortario (ut §. 51.) contuſa, ſacculo cannabino in-

cludan-

cludantur, nulloque adhibito calore, torculari urgeantur, ut oleum exeat loco frigido ſervandum.

§. 57.

Compactioris ſubſtantiae ſemina (§. 54. β.) ut oleum praebeant, mortario, aut molendina, ut in farinam abeant, proderit triturari; haec poſtmodum aquae ebullientis vapori expoſita, & iterum exſiccata ſacculo incluſa praelo cõmittantur; quemadmodum cum *Nuce moſchata* in uſu eſt.

§. 58.

Quae torrefactionem paſſa ſunt, ſemina oleum empyreumaticum uſui medico ineptum praebent, negligendum. Oleum vero, ſeu *Butyrum Cacao*, ut & maiori copia acquiratur, & aſſervari non rancidum diutius valeat, nuclei corticibus liberi torreantur; ſimilis

milis dein proceſſus (§. ant.) ac cum oleo Nucis moſchatae inſtituatur.

§. 59.

NUCLEI *Cacao*, *Nux moſchata*, & *Lauri baccae* oleum etiam ſuppeditant, ſi, contuſione praevia, in aqua ebulliant, & oleum ſupernatans argenteo cochleari ſeparetur.

§. 60.

OLEUM ovorum ex vitellis coctione induratis, contritis, & in ſartagine, donec ruffeſcant, & pingue quid emittere incipiant, leviter aſſatis; ferventibus adhuc ſacco incluſis, & praelo fortiter preſſis fit.

Olea Eſsentialia pressa.

§. 61.

Quae in ſtatu ſecretionis propriis cellulis incluſa, olea eſſentialia in Citreorum, Aurantiorum, & Limoniorum corticibus ſtabulantur, optime per expreſſionem obtinentur hoc modo inſtituendam. Horum fructuum recentes cortices in fruſtula oblonga diviſa, convoluta, inter digitos fortiter contra vitrum politum comprimuntur: ſicque oleum guttatim in vitrum proſiliens in ſuppoſitum vas depluit: vel aculeata machinula cortex raditur, è quo magna olei eſſentialis quantitas efluit per ſulcum huic accommodatum negotio in vas ſuppoſitum: corticis raſi fragmenta pulpae ſimilia duo inter vitra ſacculo contenta exprimuntur praeli beneficio. Oleum eſſentia-

ſentiale odoris gratiſſimi, minus deſtillatis fluidum, *per ſpeculum* in Officinis nuncupatum obtinetur, minoris ob contentam mucilaginem facile alterandam durationis prae deſtillatis.

§. 62.

ITEM cum olea eſſentialia *elaeoſacchari* forma communiter exhibenda ſunt, extemporaneo proceſſu hocce in ſtatu obtinentur, ſi cortices dicti ad aſperam ſacchari pyramidalis ſuperficiem adfricti eouſque radantur, donec ipſa ſatis oleo imbuta adpareat, ut novo alius cortex loco adfricetur. Raſa demum ſacchari ſuperficie, humectationis limitata profunditate *elaeoſaccharum* exhibeatur; quod, ut, deſtillationis ope, puriſſimum habeatur oleum, commode etiam inſervire poterit.

§. 63.

Ad expreſſionis etiam caput referenda *ſpongiae marinae* praeparatio, alibi fuſius explicanda.

DEPURATIO.

§. 64.

Ut partes ſuccorum expreſſorum, aut aliorum liquidorum haeterogeneae, aut craſſiores a liquidioribus ſeparentur, *Depuratio* fieri debet, alias *Purificatio* nuncupata; &, cum plurima liquorum depurandorum diverſitas ſit, vario quoque modo haec inſtituitur operatio.

§. 65.

Filtratio, ſeu *Colatio*, quae pro diverſa indole materiae filtrandae diverſimode fieri ſolet,

1°.

1°. fit per filtra variae ſtructurae; utplurimum per ſacculum lineum, aut laneum firmiter conſutum, *Hippocratis manicam* appellatum; eoque modo colantur liquida aquoſa, decocta, infuſiones, ſerum, olea; vel 2°., ſi haec eadem liquida puriora expetantur, per ſimplicem, aut duplicatam *chartam bibulam*, ſive emporeticam fieri conſuevit. 3°. Mercurius vivus, ut à ſordibus depuretur, per corium etiam ovinum, aut vitulinum trajicitur. 4°. Pulpoſae & mucilagineae vegetabilium partes ordinaria reſpuentes filtra (n°. 1°. & 2°,) per *ſetaceum* à craſſioribus, & ſolidioribus ſeparantur. 5°. Acidi corrodentes ſpiritus papyrum, ſacculos, & rel. deſtruentes per infundibulum vitreum, cujus roſtrum tenuiori arena, ſilicum puriori pulvere, vel pulvere vitreo impleatur, colantur.

§. 66.

Decantatio, ſive humoris clari à craſſioribus particulis per quietem in fundo ſubſidentibus effuſio, vaſis inclinatione facta, in uſu eſt, ubi maior copia liquidi à craſſiori materia ſeparanda maiori celeritate, quam per tardam filtrationem fieri poteſt, exigitur: vel ſi liquida à tenuiori ſedimento, quod filtrum ingredi cum liquore valeat ſeparanda, ut in *ſuccis vegetabilium preſſis*; & aceto evenit; vel demum cum ſpiritus corroſivi à metallicis ſolutionibus, aut aliis praecipitatis liberandi ſunt.

§. 67.

Despumatio fit, tollendo purificandi liquoris ſordes, & inquinamenta forma ſpumeſcente in ſuperficiem ebullientis liquoris

ris ejecta , vel cochleari pertuſo, vel colato liquido.

§. 68.

SI hujuſmodi liquidis quaedam glutinoſa additamenta immiſcentur v. g. ichtyocolla, aut ovi albumen, ut impuritates iiſdem in ebullitione coagitatae, & coactae in ſuperficie liquidi adpareant, CLARIFICATIO audit. Vegetabilium ſucci, decoctiones, ſaccharum aqua ſolutum, lactis ſerum, liquida viſcida ovi albumine depurantur. Acidi liquores autem ichtyocolla aceto, aut aqua ſoluta.

§. 69.

ID tamen hoc modo fieri debet: liquidi clarificandi modicae quantitati frigidae ovi albumen adjiciatur, & bacillis in ſcopam efformatis, aut rota in id negotium apta conquaſſetur, ut ſpuma

ma fiat; hac proportione, quod pro ſingulis liquidi duabus libris unicum ovi albumen ſumatur. Reliquo deinde liquido miſceatur, conquaſſetur iterum, ut miſcella aequabilior fiat, & igni admoveatur. Aliquibus praemiſſis ebullitionibus, liquidum ſpumeſcens impurum pertuſo cochleari (§. 67.) deſpumetur; idque ſemel, & iterum fiat, ſi opus fuerit; & poſtea filtretur, ut (§. 65.) dictum eſt.

§. 70.

Destillationis operatio multum quoque depurandis vegetabilium ſpirituoſis principiis inſervit; de hac autem alibi, uti etiam de *Cryſtalliſatione*, quacum ſalia depurantur.

§. 71.

Liquida ſpiſſiora in aëre frigido quiete repoſita intra breve tempo-

temporis ſpatium graviores, & inutiles partes ad fundum vaſis dimittunt, quae in Officinis *foeculae* nominantur, decantato (§. 66.) liquore obtinendae.

§. 72.

Ubi cum impuritatibus liquidi, ejus quoque virtus aliquo modo emungi poteſt ſola *decantatione* (§. 66.) aut ſimplici (§. 65. 1°.) colatione purificandum, minime vero clarificatione (§ 68.) utendum: ut ex. gr. in purificanda decoctione capitum *papaveris albi* pro conficiendo ſyrupo *diacodii* uſuvenit.

§. 73.

Si de purificandis ſolidis corporibus ſermo ſit, Depuratio etiam obtinet ſub *lavationis* titulo. Adhibetur pro depurandis axungiis, liberandis à terra adhaerente

rente *Millepedis*, *Lumbricis*, & ſ. p., aqua interveniente.

EVAPORATIO.

§. 74.

Si fluidiores, volatiles, ac leviores liquidorum partes, appropriato calore, in fumum, vel vapores propelluntur ex vaſis in id negotium idoneis, ejuſmodi operatio Chemicis *Evaporatio* dicitur.

§. 75.

Cum evaporatio in ſuperficiei liquoris ratione, qua aërem immediate attingit, ſit; adeo, ut pro maiori ſuperficie maior fiat evaporatio; inſimulque cum pro maiori, aut remiſſiori caloris gradu intendatur, aut minuatur; liquidò conſtat optime peragi in vaſis humilibus fundo plano inſtructis, & amplis, quae *Patinas evapo-*

evaporatorias vocant; & gradus caloris ita moderandus, ne fortiori igne vexatum liquidum evaporandum *empyreuma* contrahat; quod B. M., aut B. A. ope, mitiori ſubſtracto igne, ſub continua liquoris, ſi ſpiſſior ſit, deſideretur-ve, cum ſpathula agitatione, evitatur. Haec eſt generalis evaporandorum fluidorum lex, quoties fixae ſervandae prae volatilibus partes ſunt.

§. 76.

VEGETABILIUM fluidiores ſucci, animalium gelatinae, ſolutiones, extractiones, in craſſiorem, magisque ſpiſſam conſiſtentiam hocce proceſſu ſi redigantur, *inſpiſſari* dicuntur; atque in Officinis operatio talis *Inſpiſſatio* appellatur, ſimilesque ſucci vegetabilium *Succi inſpiſſati* nominantur.

§. 77.

VARIA *inſpiſſatorum ſuccorum* conſiſtentia varium ſortita fuit nomen. *Apochyliſma* , *Succago* , *Rob* , *Robub* , *Robob* , *Sapa* , *Defrutum* denominationes ſunt unum, idemque ſignificantes , & ſuccis cujuſcumque ex vegetabilibus per ſe (ſecundum dicta §. 52.) in magis , minus-ve ſpiſſam conſiſtentiam , coctionis , & inſpiſſationis ope factam , actis competentes (*a*). *Extracti* quoque nomine, licet non adaequato , veniunt aliqui ſucci inſpiſſati.

§. 78.

QUAE ex fructibus , & radicibus

(*a*) Saccharo , aut melle miſceri Veteres praecipiebant , unde Rob diverſitas *ſimplicium* , qualia dicta , & *compoſitorum* ſaccharo , aut melle admixto factorum.

bus *pulpae* extrahuntur, hunc quoque ſibi vendicant locum, ſive coctione adhibita id fiat, ſive ſimplici tuſione, & expreſſione obtineantur. Priori modo fiunt, ſi carnoſi fructus immaturi, maturi, aut exſiccati, ablato cortice, in fruſta conſciſſi, paucula adhibita aqua coquantur, ut quam exactiſſime molleſcant; per ſetaceum adactis, pulpa exprimatur; quae poſtea, ut moris eſt, lento igne, ſub continua cum ſpathula lignea agitatione, ne comburatur, evaporet ad mellis conſiſtentiam. Pulpa autem cruda obtinetur, ſi fructuum, aut baccarum recentium, probeque maturorum partes tuſae, aut manibus preſſae per cribrum exprimantur, ut cortices, & ſemina ſeparentur, nulla coctione praegreſſa.

SOLUTIO.

§. 79.

RADICALEM ſolutionem ſilentio prementes de ſolutione *immerſiva*, aut *ſuperficiali* dicta ſermonem inſtituamus; quam cum univerſa Chemicorum cohorte operationem vocamus, dum corpori alicui ſolido fluidum aliquod conveniens, quod *Menſtruum* dicitur, ſuperfunditur, ſic in illud agens, ut in unum apparenter homogeneum fluidum ambo abeant, ſolutumque ſola exhalatione, aut praecipitatione ſeparatum dimittens. Unde, & operationis in genere, & Menſtrui patet natura.

§. 80.

HUIC operationi *Digeſtio*, & *Maceratio* famulantur. Illa fieri dicitur, quum diverſae fluidae, & ſoli-

ſolidae pulveratae ſubſtantiae, debita proportione mixtae, blando, & aequabili calore, *digeſtivo* dicto, foventur; vaſe clauſo, parvo relicto foramine, ut earumdem exinde mutua combinatio exſurgat. *Maceratio* autem cum aqua, aut alio inſtituitur medio, utplurimum nullo interveniente calore, aut igne.

§. 81.

FAMULATUR etiam ſolutioni *Circulatio*, quae perficitur, ſi duobus matratiis ita adaptatis, ut unius collum in alterum inverſum intrudatur, ut incluſus liquor in auras exhalare non potens, ſuperiori vaſis parte collectus iterum dilabatur: quae *Pelicano*, & *Cucurbita* alta Chemica fieri etiam conſuevit. Plurimum quoque ad operationis facilitatem conducit *Pulveriſatio*. (§. 44. —)

§. 82.

Pro medicamentorum praeparatione ſolutioni dicata menſtrua *Aqua*, *Spiritus ardentes*, *Olea*, *acidi*, *&* *alcalici liquores* recenſentur, quae triplicis naturae *menſtruum* conſtituunt; *aqueum* nempe, *ſalinum*, *ſulphureum* ſic dictum.

§. 83.

Aqua, fere inſtar univerſalis menſtrui conſideranda, pro ſalium in primis ſolutione uſurpatur, quorum alia aliis citius, maiori, minori-ve quantitate, ſub eadem data puriſſimi ſolventis portione, ſolvuntur; quod ut dilucidius pateat, en ex Cl. Spielmanni, & Eller obſervationibus diverſae ſalium ſolubilitatis tabula, maximo uſui tam in parandis, quam in praeſcribendis medicamentis futura.

Aquae

Aquae deſtillatae puriſſimae uncia una diſſolvit in calore Atmoſphaerae 50 gr. Th. Farenheit.

Terrae foliatae tartari . . . . *Grana* . .	470.
Salis Epſomenſis	324.
Tartari	240.
Vegetabilis	212.
Vitrioli albi	210.
Salis Gemmae	200.
Sodae	200.
Ammoniaci	176.
Communis	170.
Mirabilis Glauberi . .	168.
Digeſtivi Sylvii . . .	160.
Salis Segnetti	137.
Vitrioli coerulei	124.
Viridis	80.
Nitri depurati	60.
Salis Polychreſti	40.
Tartari vitriolati	30.
Mercurii ſublimati corroſivi	30.
Boracis	20.
Aluminis	14.
Salis volatilis ſuccini .	5.

Tar-

Tartari crudi	. . . . . .	4.
Cremoris Tartari	. . .	3.

§. 84.

Illud autem obſervandum duco. *Primò* pro caloris aëris, & aquae differentia plurimum hujus menſtrui actionem differre; iterumque *ſecundò* diverſam ſalium ſolubilitatem, á diverſa eorumdem puritate, ſiccitate, perfectione pendere: unde forſan in obſervatis Chemicorum varietas proveniat. *Tertiò* demum eamdem aquae quantitatem determinata ſalis dati portione gravidam, ſeu, ut Chemici dicunt, *ſaturatam*, aliam alterius, immò & tertii portionem ſalis recipere, non depoſitis prioribus jam ſolutis; &, quod mirabilius eſt, prioris iterum ſalis, quod ſolvere jam nequiverat, quantitatem aliam recipit.

§. 85.

GUMMOSA, & mucilaginoſa corpora, uti etiam gelatinoſae animalium partes aquae patent, in eaque, non adhuc determinato ſaturationis puncto, ſolvuntur. Variae ſic conſiſtentiae ſolutiones obtinentur pro maiori, aut minori aquae ſolventis copia.

§. 86.

NEC gummi-reſinoſa corpora aqua reſpuit, ſi triturationis, (§. 46. 6°.) & agitationis beneficio adjuvetur; imperfecta quidem, & lacteſcente ſolutione facta, non minoris autem in Re Medica uſûs. Subtiliſſimas quoque vegetabilium partes recipit, ut eorum proprio & ſapore, & odore impraegnetur. Omnium denique qualiumcumque ſubſtantiarum ſolutarum viribus impraegnatur.

§. 87.

§. 87.

Si aliqua ſicca corpora per aliquod tempus aëri humido expoſita liquefiant, etſi nullum ipſis fluidum ſuperfundatur, *ſolutio per deliquium* nuncupatur, ab aqua in aëre diſperſa facta; quae cum aliquid pinguis, & viſui, & tactui offerre videantur improprio ſatis vocabulo *olea per deliquium* in Officinis audiunt; *liquores* etiam, & *liquamina* rectius dicuntur.

§. 88.

Metallorum, & ſemimetallorum in aqua ſolutionis ſpecimina ſunto limaturae ferri praeparatio, croci martiales aëre humido, rore, aut aqua parati: Decoctum Mercurii crudi in aqua ſimplici efficax certè, etſi contra clamitent quamplurimi. (*a*)

§. 89.

(*a*) Vid. F. X. Waſſeberg. Chemiae Inſtit. tom. 2. pag. 33. & ſeq.

§. 89.

AQUAE ſtillatitiae odoratae; tum & decocta, & infuſa, de quibus ſuo loco, exemplo erunt poteſtatis aquae in ſolvendis corporum principiis, in quibus eorum odor, & ſapor reſident.

§. 90.

ILLUD iterum probè tenendum, quod licet ſolutiones in aqua plus minus calida factae facilius, & uberius contingant, haec tamen frigida reddita maiorem ſoluti quantitatem, quam caloris ope ſolverat, demittit; manifeſto experimento, ſolutiones aqua frigida factas, licet tardius ſuſceptas, ejuſdem penitus indolis eſſe cum prioribus, quod de ſolutionibus ab aliis menſtruis etiam intelligendum.

§. 91.

Spiritus *ardentes*, *ſpiritus vini* nomine communiter inſigniti, cujuſcumque ſint comatis, Olea eſſentialia, Reſinas, Gummi-reſinas, Balſama naturalia, Camphoram ſolvunt; & Ambram griſeam, dum bitumina reſpuunt; ſolvunt ſapones vulgares, olea pinguia non attingentes; caloris ope ſalia ſolvunt alcalina volatilia, fixis non patentes; ſalia item neutra ex alcali fixo vegetabili, & acido aceti ſolvunt; aqua, & acidis demum miſcentur; haecque dulcia reddunt, de quibus ſub Deſtillationis Titulo: nunc vero de eis, quae ſimplicem ſolutionem ſubeunt; interim monentes ſolutiones ſpiritu vini factas ſolutorum virtutes poſſidere.

§. 92.

OLEA, ſive expreſſa pinguia; ſive eſſentialia deſtillata, reſinas, balſama, ceram, camphoram, animalium pinguedines, ſulphur, & aliquas ex ſubſtantiis metallicis, & praecipue plumbum reſerant: eo cum actionis emolumento, quod, cum maiorem caloris gradum nanciſci apta nata ſint abſque ſenſibili alteratione, plurimis inſerviant, quae reliqua non poſſunt menſtrua. Vires autem ſolutorum Medicas aliquantulum imminuunt.

§. 93.

OMNIA acida vegetabilia, & mineralia ſalia alcalina, terras alcalinas, & ſubſtantias metallicas ſolvunt: non eodem penitus modo, & vi, neque eaſdem metallicas ſubſtantias omnia ſolvunt;

vunt; ſed eorum ſingulis privae quamplurimae ſunt qualitates.

§. 94.

Ex alcalinorum cum acidis ſolutione ſalia *media*, *neutra*, *enixa* emergunt, quae, cum omnia penè cryſtalliſatione demum obtineantur, ad hoc ideo caput enumeranda; dum de illis, quorum nullae ſunt cryſtalli, verba facere intendimus.

§. 95.

Quoad ſubſtantias metallicas acidis diverſi generis ſolvendas, ſciendum:

1°.) Acida vegetabilia ſolvere zincum, ferrum, cuprum, ſtannum, plumbum, idque melius, dum calcinatum; partemque Antimonii metallicam ita diſſolvunt, ut violentiſſima emetica evadant.

2°.) Acidum marinum, uſita-

to ſolutionum proceſſu, zincum, ferrum, & cuprum ſolvere; reliqua vero metalla tantum aggredi, dum eo temporis momento, quo maiorem caloris gradum experiuntur, acidum marinum ea ſub forma vaporis attingit.

3°.) Acidum nitroſum omnes metallicas ſubſtantias ſolvere, auro, & regulo antim. exceptis; quae ſoli hujus acidi cum marino mixtioni patent.

4°.) Vitriolicum concentratum difficilè metalla ſolvere, niſi admodum calefactum; melius autem aqua dilutum eadem rodere, & peculiariter, facillimeque zincum, & ferrum.

5°.) Acidorum in diverſa corpora actionem calore, efferveſcentia, vaporibus comitari; hos demum, ſi è ſolutione zinci praecipuè, & ferri in acido vitriolico eleventur, inflammabiles eſſe, & *gas inflammabile* dici.

6°.) Acida qualitates ſoluto-

rum

rum corporum immutare.

7°.) Juvante caloris actione indigere acidorum aliqua pro metallorum obtinenda ſolutione.

§. 96.

Liquores alcalini olea, reſinas, ſulphur, diſſolvunt, propriae actionis incremento, ſi cum viva calce coeant, unde varii emergunt ſapones fixi, volatiles, & ſemivolatiles, ſolidi, molles, aut fluidi; balſama; ſpiritus, &c.

CRYSTALLISATIO.

§. 97.

Salium ſolutione diviſae partes in proprio menſtruo, ſi ad priſtinam ſoliditatem, & figuram redigantur, propria adhibita *encheireſi*, cryſtallisari dicuntur, & operatio in id facta *Cryſtalliſatio*. Unde liquidò conſtat requiri perfectam

fectam ſolutionem ſalium in aqua, cujus imminutione, debita ſoluti quantitas, menſtrui debitae quantitati non reſpondens, ad vaſis fundum deponatur; (juxta §. 83.) praecipue, ſi, calore juvante, impetrata ſolutione, aëris ſuſcepto frigore, menſtrui potentia debilitata, idem eveniat. (ibidem & §. 90.)

§. 98.

Hoc vero modo inſtitui debet operatio. Solutio prius filtrata in amplo vaſe evaporatorio (§. 75.) evaporationi (ibid.) committitur; per quam ad certam minuenda quantitatem, ſtellulis ſalinis, ſeu pellicula in liquoris ſuperficie adparentibus, dignoſcendam, (quod *evaporare ad pelliculam* technice appellatur:) liquor ita diminutus, &, ſi opus iterum fuerit, filtratus (§.65. 2°.) in loco ab igne remoto, non admodum frigido reponatur, repo-

ſitus, leniter tectus, quieti, ſaltem per nychthemeron, tradatur: Cryſtalli tunc temporis ad fundum, & parietes vaſis accretae, liquore per Decantationem (§. 66.) effuſo, caute eximendae, chartaque bibula exceptae ad leniſſimum calorem exſiccandae. Effuſus demum liquor novae, quinimmo tertiae evaporationi ſubjiciatur, ut diverſae materiae ſalinae eliciantur, pro particularis cujusque ſolubilitatis ratione, ut (§. 83.) dictum eſt.

§. 99.

In hac autem operatione haec ſunt peculiariter obſervanda:

I. Subito admiſſo frigore, cryſtalliſationis modum, & ordinem turbari.

II. Evaporationem ad ebullitionem liquidi uſque ſuſcipiendam non eſſe; ſed leni calore in B. M. aut B. A. (§. 75.) facien-

dam

dam eſſe, ut cryſtalli eâ, qua requiruntur, forma obtineantur.

III. Evaporationem ad *pelliculam* (§. ant.) dictam non ſtrictè adeo ſperandam eſſe, ne evaporationis ulterioris impedimento ſit; neque ipſa praecipitata cryſtalliſationem deturpet.

IV. Continuandam, donec aliquae liquidi gutulae in frigido vitro, aut diſco aëri expoſitae cryſtallina exhibeant filamenta.

V. Triplicem ROUELLIO deſcriptum evaporationis gradum obſervandum eſſe: *inſenſibilem* primum, qui Solis, aut ſimilis caloris actione fit; ſecundum *medium*, qui a primo ad ſenſibilem vaporum apparitionem notatur; tertium denique, ſive *fortem*, qui intra calorem tactui moleſtum, & ebullitionis gradum terminatur: pro varia etenim horum graduum diverſitate variorum ſalium evenit cryſtalliſatio.

VI. Salia in ſpiritu vini indiſ-

ſolubilia, uti ſunt metallica, & alia, hujus additione, facilius in cryſtallos cogi; quae, ut ritè procedat operatio, paulatina fieri debet ſpiritus additio, ne cryſtalliſationis ordo peſſum abeat.

VII. Salium aliqua, muriae exemplo, leni, & continuata evaporatione, ut cryſtalliſentur, indigere.

VIII. Salia neutra huicce ſubmittenda eſſe operationi, quam alcalina, ſoda excepta, omnimode reſpuunt.

IX. Non tantum, ut ſolutae ſalium particulae redintegrentur, & nativa ipſis reſtituatur forma, cryſtalliſationem inſtitui; verùm, idque praecipue, ut alia ab aliis ſalia ſeparentur, impura à ſordibus aqua inſolubilibus liberentur, atque ut à variis naturae productis eximantur.

X. Salia maiori aquae, ut ſolvantur, quantitate indigentia priora in cryſtallos cogi, & ſic de reliquis.

PRAE-

PRAECIPITATIO.

§. 100.

SUBSTANTIARUM appropriato menſtruo ſolutarum (§.79. & ſeq.) ad vaſis fundum ſeparatio, altera ſubſtantia interveniente, quae cum ſolvente, aut ſoluto maiorem affinitatem habeat *Praecipitatio* nuncupatur. Unde patet affinitatum Tabulam hic uſuvenire, ut pro varia ratione ſubſtantiae prae ſubſtantiis in hujuſmodi negotio adhibeantur.

§. 101.

SIMPLICISSIMO adeo proceſſu haec fieri ſolet operatio, ut nullis penitus peculiaribus regulis opus ſit; eâ excepta, quod ſolutioni praecipitans ſubſtantia paulatim adjiciatur, quandiu praecipitatio obtinet; abſtinendum illi-

illico, ac nulla jam ad fundum ſubſtantia deponitur, quae *Praecipitati*, aut *Magiſterii*, aut etiam *Sulphuris* nominibus inſignitur.

§. 102.

Praecipitata materia aqua ſimplici multoties erit lavanda, donec inſipida evadat, ſi talis expetatur; quod *edulcorare* dicitur: liquor autem remanens, ut varii ſales ex ſolventis, & praecipitantis materiae connubio exurgentes obtineantur, cryſtalliſatione (§. 97. & ſeq.) tractandus.

EXTRACTIO.

§. 103.

Extractionis vocabulo operationem intelligimus, in qua, menſtruo interveniente, nonnullae de corporibus partes conſtituentes ſolvuntur, & à reliquis ſeparantur.

tur. Solutionis itaque ſpeciem eſſe, & fundamentis (§. 79.—96.) inniti perſpicuum eſt; ideoque, diviſione prius inſtituta in extractiones liquidas, & ſolidas, de eis, quae pro diverſis menſtruis diverſum ſortita ſunt nomen, & naturam, agemus,

§. 104.

Extracta liquida ſunt mixturae tenuiores appropriato parata menſtruo; conſtant ergo ex particulis ſolutis, & ſolvente menſtruo. Extracta vero ſolida, propriè ſic dicta, ſunt producta operationis craſſiora, non fluida, partibus corporis menſtruo ſolutis conſtantia, ab eoque per evaporationem, & inſpiſſationem (§. 74.—77.) liberata. Quae igitur priorum cum ſolutionibus variis, (§. 83. 85. 86. 89. 92.) & poſteriorum cum ſuccis inſpiſſatis differentia intercedat, evidenter patet.

§. 105.

Inter extracta liquida numerantur = A) *Infuſa*, B) *Decocta*, C) *Tincturae*, *Eſſentiae*, *Elixiria*. Solida, ratione menſtrui, triplici modo dividuntur in Extracta I. *Gummoſa*, *aquoſa*, *mucilaginoſa*, II. *Spirituoſa*, *reſinoſa*, III. *Aqueo-ſpirituoſa*, ſeu *Gummeo-reſinoſa*, de quibus ſingulis nunc agendum.

Extracta liquida.

A. *Infuſio.*

§. 106.

Etsi *infuſionis* ſub generali nomine Digeſtio, & Maceratio (§. 80.) in quolibet menſtruo *aquoſo*, *ſalino*, *ſulphureo*-ve (§. 82.) Chemicis intelligatur, uſus tamen Pharmaceuticis obtinuit, ut *Infu-*

Infuſio propriè dicatur, dum fit è vegetabilibus ſubſtantiis virium extractio, cum, vel abſque igne, ope menſtrui aquoſi, vinoſi, acetoſi, aut oleoſi; ſpirituoſo pro *Tincturis*, *Eſſentiis*, *Elixiriis*, menſtruo relicto. Unde hanc eſſe *ſolutionis* ſpeciem (§. 79.) tumque maxime illius, quae (§. 83. 85. 86. 89. 92.) dicta eſt, evidenter patet.

I.

Infusio vegetabilium in aqua.

§. 107.

Cum aqua ſalium, gummatum, gummi-reſinarum, odoratarum vegetabilium partium, (§. 83.— 86.) quinimo harum etiam interventu, &, ſi velis, liquorum alcalinorum (§. 96.) mixtione oleorum, & reſinarum menſtruum ſit, atque fere inſtar univerſalis menſtrui (§. 83.) habita ſit; idque

plus,

plus, minus-ve pro aquae ſolventis, & atmoſphaerae vario calore felicius, & uberius (§. 84.) eveniat, hinc aquam proprium eſſe extrahendis vegetantium ſubtilioribus partibus, & efficacioribus menſtruum intelligitur.

§. 108.

Hoc autem modo operatio, (quae ſi calida *Infuſio*, aut *Thea medicata*, ſi frigida *Infuſio frigida* nuncupatur,) inſtitui ſolet.

1.) Niſi recentes pro infuſione vegetabilium partes expetantur, moderatè, & recenter exſiccatae adhibeantur; interim obſervato, quod, experientia teſte, ſicca vegetabilia maiorem & principiorum, & virtutum ab eis pendentium quantitatem menſtruo largiri, quam ſi recentia fuerint.

2.) Maceratione, aut digeſtione (§. 80.) opus eſt, prout *Infuſio* frigida, aut ebulliente aqua fieri decernitur.

3.)

3.) Eodem item (2.) proceſſu utendum, minori, aut longiori temporis ſpatio, pro infuſarum ſubſtantiarum natura. Ligna, cortices, radices, fructus carnoſi, incidendi, contundendi, pulverandi, calida, aut frigida aqua macerandi: praecipuè ſi decoctioni poſtea deſignentur. Folia, flores, integri infundendi.

4.) Eadem penitus ratione, clauſo, aut aperto vaſe, frigido, aut calido menſtruo Infuſio peragenda; prout ſubſtantiarum fixa, aut volatilis natura ſit; maior, aut minor principiorum eliciendorum proportio expetatur; operationisque brevitas neceſſaria ſit; probè attentis, quae (§. 90. dicta ſunt, huc referenda.

5.) Infuſio ſive Maceratione in frigida, ſive Digeſtione in calida, aut ſuperfuſa aqua ebulliente, tunc facta dicitur, quum ſenſibiles infuſi qualitates, & praecipue odor, & ſapor liquori

ri cōmunicantur. Quod quidem optimè tunc factum eſſe creditur, quando ea, quae frigida aqua facta eſt, concuſſo vaſe, & ſubſidente pulvere, coloratior non evadit; & quando in ea, quae calida, aut ebulliente ſuperfuſa aqua fuit ſuſcepta, infuſi partes ad vaſis fundum depoſitae ſunt, liquore pellucido remanente.

6.) Infuſionis probè paratae character eſt, ut diaphana ſit, ideoque aut colationem (§. 65. 1°.) non patitur, aut ſi colari jubetur, id per chartam bibulam (ibid. 2°.) fieri debet; nulla expreſſione facta, ne craſſiores exhibeantur partes liquidum turbaturae, nec efficaciam virium adaugentes.

7.) Ubi colatione abſtinere animus eſt, ſubſtantiae infundendae colligatione *in nodulo*, *petia*, *ſacculo* è linteo, aut alia materia parato utendum, nodulo ad quartam tantum partem impleto, ne

is inflatione incluſae ſubſtantiae crepet.

8.) Cavendum, ne volatilia infuſa calida adhuc è vaſe ſive colatione, ſive decantatione (§. 66.) eliciantur, ne jacturam virium faciant.

9.) Mutua ingredientium, & aquae proportio generalibus quidem regulis comprehendi nequit; variant namque infundendae ſubſtantiae, & medicamenti uſûs conditiones, ideoque quadruplam, ſextuplam, duodecuplam, aliquando longe maiorem menſtrui quantitatem pro ſolvenda materia, & virtute plus minus activa adhibemus; utplurimum vero pro foliorum, & florum pugillo quatuor aquae ebullientis uncias recipimus: pro craſſioribus autem, & injucundioribus, prout Medica variat intentio, diverſimode agendum.

10.) Quae prius infuſa fuit ſubſtantia novae iterum operatio-
ni

ni ſubjici poteſt, immò & tertiae, ut omnimoda expetita virtus habeatur, minuta interim menſtrui proportione prima.

II.) Ut ſaturatior habeatur vegetabilium quarumque ſubſtantiarum infuſio, vel 1°. in determinata aquae quantitate maior paulatim infundendae ſubſtantiae quantitas injicienda; vel 2°. aqua aliquo admixto ſpirituoſo grato liquido actuoſior reddenda; vel demum 3°. planta infuſioni ſubmittenda in aqua ipſiusmet plantae deſtillata infundenda.

II.

Infusio vegetabilium in aceto, sive Aceta Medicata.

§. 109.

Non abſimili modo *aceta medicata* in Officinis dicta parantur, ſi materiae infundendae pu-

rae,

rae, & leniter exſiccatae, (§. 108. 1.) ne mucorem aceto inferant, inciſis, contuſis, aut pulveratis, quae id exigunt (§. 108. 3.) ſubſtantiis, vaſe vitreo ſuſceptae acetum infundatur commune ex vino factum, (deſtillato melius) vaſisque orificio clauſo, vel leni foci calore digeratur, vel inſolatione, vel longa maceratione tractetur, pro varia infuſae ſubſtantiae compage. Ab omni demum alteratione, & foeculentia defenduntur, ſi duodecima ſpiritus vini tenuioris pars addatur.

III.

Infusio Vinosa, seu Vina Medicata.

§. 110.

Duplici methodo *vina medicata* fiunt, fermentatione nimirum, aut ſimplici infuſione. Priori

ri ſuperſedere ſuadet alteratio; tam ipſius vini, quam ſubſtantiarum infuſarum, fermentationis tempore; quapropter de eis, quae Infuſione parantur, ſermonem inſtituamus. Vinum aquoſo inſimul, & inflammabili principio gravidum, eaſdem, quas ſpiritus ardentes, & aqua (§. 83. 85. 91,) ſubſtantias recipiunt, etiam aggreditur: acido itidem conſtans acidorum (§. 93.) vires aemulatur in ſolvendis quibuslibet ſubſtantiis acidis patentibus.

§. 111.

Liquido igitur conſtat infuſionem vino factam (iiſdem legibus tractandam) haec peculiaria habere:

1°.) Loco frigido Maceratione paranda, vaſe exacte clauſo, erit.

2°.) Tempus Macerationis ad dies extendi debet octo, decem, &

& ultra, (juxta §. 108. 5.) ſi adſervari debeat. Si vero extemporaliter parva quantitate expetatur, B. M. infuſio inſtituenda.

3°.) Subſtantiae tantum ſiccae adhibendae; plantis antiſcorbuticis exceptis, quae recentes infundendae.

4°.) Vinis medicatis adſervandis jam colatis ſpiritus vinoſi tenuioris viceſima circiter pars addenda, ut fermentatio impediatur: ampullis vitreis ea reponere convenit rite obturatis.

IV.

INFUSIO OLEOSA, SEU OLEA PER INFUSIONEM.

§. 112.

QUOD de reliquis Infuſionum menſtruis dictum eſt pro determinata ſubſtantia ſolvenda, extrahenda, idem de oleis preſſis

obtinet, quae aliquot vegetabilium odore, colore, & viribus impraegnantur. Id tantum obſervare convenit vegetabilia infundenda ſicca adhiberi oportere, ut olei alterationi occurramus; dein, inſolatione, aut digeſtione ad dies protracta, facienda; poſtremo exprimenda fortiter, reponenda, ut ſubſideant foeces, & humiditas, ſi adſit; decantata adſervanda, probe obturato vaſe.

Extracta liquida.

B. *Decoctio.*

§. 113.

Decoctum, ſive *Apozema*, ſimile *Infuſioni* medicamentum dicitur, idem requirens (§. 106.) menſtruum; aſt nec *Maceratione*, aut *Digeſtione* ſola, ſed ***ebullitione*** ad ignem paratum.

§. 114.

§. 114.

Ergo communis è triplici Naturae Regno materia eſt tam Infuſioni, quàm Decoctioni; menſtrui autem ratio, atque delectus pro Medici praeſcribentis lubitu adaptatur; utplurimum vero aquoſi prae aliis frequentior eſt in decoctis uſus; ſemperque exhibendi, quoties nullius liquidi mentio fit, quòd videlicet ebulliendo minus, quam reliqua, mutetur, enervetur. Decoctio enim, quae vino fit, (Infuſis aptiori §. 110.) vaſe utcumque clauſo ſuſcepta, vinum ſemper peſſundat; quo fit, ut, ſi eo opus eſt, ſatius ebullitione peracta, liquore frigido, decocto miſceatur. Spiritus ardentes rarò pro hacce operatione adhibentur.

§. 115.

Ut rectè decoctio inſtituatur, ſequentes notandi canones:

I. Decoctio optimè inſtituitur, ſi determinatae ſubſtantiae quaeſita virtus determinato menſtruo ſolubilis eſt; neque eâdem aut commoditate, aut expetita brevitate per macerationem, ac per ebullitionem extrahitur; neque eam coctio mutat, praevertit, diſſipat; uti ſunt tenerae, recentes vegetabilium partes; aromatica, volatilia, purgantium plurima &c. &c. quae inter decoquendum virium jacturam patiuntur.

II. Quaenam ſubſtantiae Decoctioni ſubjiciendae textura ſit, durior, an tenerior, videndum; illa enim Macerationem (juxta §. 108. 3.) paſſura ſunt; haec ſecundum propriam conſiſtentiam varium decoctionis tempus expoſcunt; aliqua ſolum infunduntur,

tur, & decoctioni demum mixta *Infuſo-Decoctum*, aut *Decocto-Infuſum* Officinis dictum, in quo vires ex fixis, & volatilioribus medicamentorum partibus pendentes proſtant, conſtituunt.

III. Multum etiam refert, recens, vetus, viridis, aut ſicca incoquenda materia fuerit, pro determinanda decoctionis praeparatione, ordine, tempore, & ingredientium proportione, quae aliquoties ſub generali ſcribendi contractione *q. ſ.* & *S. A.* Pharmacopoeo computanda relinquuntur.

IV. Quae igitur longiorem, aut breviorem cocturam exigunt, eo ordine ſibi mutuo ſubjungenda, ut prius, quae longiſſimam; poſteà, quae mediocrem; poſtremò, quae breviſſimam ebullitionem; omnium ultimò, quae ſolam infuſionem poſtulant, decoquenda. Et 1°. quidem Foſſilia pleraque, animantium anno-

ſorum

ſorum oſſa, carnes, cornua, ligna, radices, & cortices compactiores, arida, inodora, reſinoſa ad tres, quatuor, ſex horas, quinimo ad plures coctionem requirunt, & ferunt: quae utplurimum prius maceranda. 2°. Ligna, cortices, radices, paulò minus compacta; inodora etiam, adſtringentia, ſaponacea, amara; animantium juniorum carnes, legumina, incraſſantia, ad unam, aut duas horas protractam coctionem exigunt. 3°. Vegetantium teneriores non aromaticae radices, adſtringentes, aperientes, diureticae, fructus pulpoſi dulces, acidi, auſteri ultra trium horae quadrantum, horae-ve ſpatium non coquenda. 4°. Herbae, & folia plantarum emollientium, adſtringentium, aperientium, & ſemina ſimilia aromate, volatili ſale, & mucilagine carentia: ligna item radices, & cortices, fixiori aromatico principio divitia

tia ſolam, horae dimidiae ſpatio, coctionem exigunt, ut virtutem largiantur. 5°. Partes demum vegetabilium tenerrimae, herbae, folia ſubaromatica, & odoratiſſimi flores, fructus cortices, & ſimiles radices molliores; purgantia quaedam; Glycirrhiza; radices, & ſemina mucilaginoſa, aut vix ultra horae quadrantem coquenda, aut, quod ſatius, ea, decocto ab igne ſemoto, adhuc fervido, tantùm infundere oportet.

V. His (IV.) perſpectis, vaſis quoque idonei electio derivatur, prout volatilitas, acrimonia materiae, & modus coctionis poſtulat; ita ut aliis phiala chemica, lagena ſtannea, olla fictilis in uſu ſit, aut diploma; aliis cucurbita alembico inſtructa, ubi volatilium ſub eo inſtituta ebullitio partem virtutis deſideratae excutit, ut collecti vapores frigido decocto denuò miſceantur.

VI. Ignis exhibendi gradum, & modum decoquendi materiei varietas (IV.) determinat, uti etiam vaſis plus, minus exactam occluſionem. Plerumque, clauſo vaſe, decoctio fit, calor enim aequabilior ſuſtinetur, & decoctionis à ſordibus inquinatio vitatur.

VII. Ingredientium cognita natura, (IV.) vaſis, (V.) & ignis (VI.) adhibendi determinato modo, facile, pro ratione menſtrui, ſubſtantiarum coquendarum quantitas determinanda; &, licet hoc iiſdem, ac de infuſionibus (§. 108. 9.) dictum fuit, difficultatibus prematur, in genere pro qualibet libra liquidi uncia una materiae decoquendae ſtatuitur, ſingillatim, aut collective ſumptae.

VIII. Decocta ſimplici colatura, aut ſubſidentia depurentur; (§. 65. 66.) niſi, aut turbida expetantur, aut clarificari (§. 68.)

(§. 68.) jubeantur. Hoc autem limpidiſſimum quidem, at ſimul plerumque minus efficacem, & forſan inertem liquorem exhibet, ideoque denuo hîc memoranda, quae (§. 72.) dicta ſunt.

§. 116.

Sicut infuſa fiunt olea in Officinis, ſic eorum aliqua decoctione parantur. Sunt, qui ſubſtantias oleo incoquendas eouſque ebullire ſinant, donec omnis abſumpta fuerit humiditas; quod olei gutta in ignem ejecta declarat, ſi abſque ſtrepitu inflammetur illicò. Quum vero maiorem, quam aqua ebulliens, oleum calorem adquirat, eoque pronius ad ranciditatem fiat, conſultius viſum eſt, ut volatiles, & aquoſae coquendorum partes diſſipentur ſine detrimento, ejuſmodi coctionem calore B.M. peragere. Plantae igitur recentes leviter

viter contuſae in mortario marmoreo oleo immiſſae cineribus calidis reponuntur, ut pars humiditatis evaporet. Forti demum expreſſione ſeparato parenchymate, ſubſidentiae beneficio demum oleum decantatur.

§. 117.

Si ex puris reſinis oleum expetatur, eo, ac (§. 91.) dictum fuit, modo, ſola leviſſima digeſtione imperata, procedendum.

Extracta Liquida.

C. *Tincturae, Essentiae, Elixiria, Balsama odorata liquida.*

§. 118.

Hoc ſub eodem vocabulo intelligitur extractum perfecte liquidum infuſione, atque digeſtione

ne variorum corporum in menſtruis ſpirituoſis paratum. Quoad formam externam, principia, praeparandi modum, & indolem, praeterquamquod *Tincturae* dilutiores, grato colore, vario ſint; *Eſſentiae* meraciores obſcuro, & minus eleganti colore gaudeant, uti etiam *Elixiria*; nulla ſingularis haſce medicaminum ſpecies genericas differentia intercedit: adeo, ut horum terminorum acceptio promiſcua hodierno ſaeculo, & vaga eſt. Nihilominus huc ſpectant *Balſama odorata liquida* artefacta, quae in Officinis proſtant, Elixiriis adnumeranda.

§. 119.

Pro extrahendis *Tincturis*, *Eſſentiis*, *Elixiriis* hi ſunt generales in uſu canones:

1.) Vegetabilia modice, & recenter exſiccata ſint, niſi recentia praeſcribantur. Incidenda, contunden-

tundenda ante menſtrui affuſionem.

2.) Spiritus vini prae omnibus aliis ſpiritibus ardentibus pro menſtruo adhibeatur, ni aliter praeſcribatur; &, ſi determinata quantitas illius pro ſolvendo non expetatur, ad trium, quatuor-ve digitorum eminentiam affundatur.

3.) Fixa alcalina ſalia profundiorem Tincturis colorem conciliantia, nec ideo extractionem intendentia, immo infuſorum qualitates immutantia, ſpiritui vini (2.) aliàs immiſcibilia, non addantur.

4.) Alcalina volatilia vini ſpiritus actionem aliquoties promoventia miſceri queunt, ſi praeſcribantur.

5.) Si acida cum ſpiritu pro Tincturis adhibenda, praevia deſtillatione combinanda, in novum compoſitum mutanda, *ſpiritus dulcificati* nomine inſignitum; aliàs ſpiritus vini actionem ener-

vatu-

vatura. Si medica intentio id expoſtulet, & perſcribantur, addenda.

6.) Operatio maceratione abſolvatur; aſt, ſi in balneo digeſtio fiat, in moderando calorem tota ſit cura: ſit nempè toto tempore leniſſimus; augendus demum ad brevem ebullitionem, ſi infuſi corporis texturae durities exigat.

7.) Fiant ampliſſimis in vaſis circulatoriis, quae prius incaleſcant, quam lutentur.

8.) Digeſtionis, aut Macerationis tempore vas frequenter concutiatur.

9.) Quae ſubſidentia non depurantur, nec pellucidae ſunt, Tincturae colentur, filtrentur.

10.) Reſinarum, & gummi-reſinarum Tincturae felicius ſuccedunt, ſi his pulveratis ſiccum, & lotum miſceatur ſabulum; inutile futurum, ſi praeſcripti pulveres, proportionata menſtruo doſi, recipiantur. 11.)

11.) Servandae vaſis vitreis rite epiſtomio vitreo obturatis; veſica ſuperimpoſita.

EXTRACTA SOLIDA.

I. *AQUOSA*, *ſive GUMMOSA*, *MUCILAGINOSA*, *GELATINOSA*.

§. 120.

DUM fixa principia infuſionis aquoſae, (§. 107.) aut decoctionis (§. 113.) beneficio, è vegetabilibus praecipue elicita, menſtruo evaporato, in maſſam plus, minus-ve ſolidam coguntur, Extracta ſic dicta ſolida *aquoſa* audiunt; *gummoſa* iterum, *mucilaginoſa*, *ſaponacea* nuncupata; &, ſi ex animalium gelatinoſis partibus fiant, *gelatinoſa*.

§. 121.

DIFFERENTIA hinc liquet haecce

inter

inter *Extracta*, & alia improprie *Extracta* in Officinis appellata, aliàs *Inſpiſſati* vegetabilium *ſucci* dicenda. (§.77.) Patet etiam ejus eſſe naturae, ut contineant quidquid non volatile in aqua ſolubile (§. 84.—86.) eſt, infuſionis, decoctionis, & evaporationis (§. 74. 106. 113.) ope, & legibus eductum, atque paratum; adeo, ut pauca admodum ſuperſint ad privam hancce operationem obtinendam, cujus fundamenta ſunt dicta.

§. 122.

SERVATIS igitur iis, quae de materiae textura, praeparatione, quantitate, liquidi proportione, modo, ignis vehementia, & vaſis, in tribus hiſce jam dictis operationibus neceſſaria ſunt, illud monendum =

(A) Facilius extracta gummoſa obtineri, ſi moderate ſicca vegetabi-

getabilia adhibeantur, praevia jam exſiccatione, non retinendis partibus liberata.

(B) Decocta non illico colatura ſimplici, ſive per Manicam Hippocratis (§. 65. 1°.) colanda; aſt poſt craſſiorum particularum, ſola caloris actione in liquido ſuſpenſarum, ſubſidentia; quod intra nychthemeron utplurimum evenire ſolet.

(C) Decantatum liquidum (B) nova iterum ebullitione tractetur ad novam ſubſidentiam, & decantationem.

(D) Utile, & commodum erit, ſi decocta materies ſacculo linteo immiſſa praelo (§. 51.) torqueatur: paululum aquae frigidae ſub finem adjiciatur; neque à preſſione prius abſtineatur, quam expreſſus latex nullum amplius ſaporem, colorem, aut odorem ſubſtantiae, unde elicitur, prodat: hic iterum liquor ad ſubſidentiam reponatur, cole-

tur, decocto depurato (B) miſceatur, ac dein

(E) Evaporatio (§. 75.) inſtituatur ad ſyrupi conſiſtentiam, igne moderato; poſtea demum, vel leniſſimus ignis gradus inſtituatur in B. M. ſub continua cum ſpathula lignea agitatione ad mellis ſpiſſioris (*a*) conſiſtentiam, vel ſupra patinas planas terreas, aut ſtanneas in furno moderate calido, & aperto ad duriorem conſiſtentiam (*b*) inſpiſſetur. Poſteriori hac methodo ocyus, priori ſerius evaporatio ſuccedit; aſt ſine empyreumate contracto ſaepiùs non, niſi auſtera impoſita patientia, vitando.

(F) Extracta, ſi fiant ex vegetabilibus odoratis, quorum ſuaveolens portio in auras abit, ut omnes illorum potentes virtutes habeant, oleo eſſentiali

H plan-

(*a*) Extracta mollia haec dicuntur.
(*b*) E. ſolida.

plantae irrorentur : eaque addi- tione facta, melius etiam conſervantur, nec adeo facile ad aëra humeſcunt. Irrorantur quoque in eumdem ſcopum tantillo ſpiritus vini.

(G) Recta extractorum conſiſtentia dicitur, ſi digiti preſſioni aliquo modo reſiſtant, nec ejus extremitati adhaereant. Firmior ſane conſiſtentia, fragilis potius, quam reſiſtens, melior : color fulvus, fuſcus, nigricans-ve.

(H) Veſica oleo preſſo madida, aut vaſis optime occluſis, loco ſicco ſervanda.

(I) Mucilagines è vegetabilium ſeminibus, & radicibus, addito aquae tantillo, extrahuntur, ad debitamque conſiſtentiam leniſſimo calori expoſitae rediguntur, ſi aqua excedat.

(L) Animalium gelatinae, protracta decoctione, & evaporatione, ad conſiſtentiam tremulam uſque, fiunt; & praecipue ex animali-

malibus junioribus, eorum oſſibus, cornubus, unguibus extrahuntur, additoque tantillo vini, & aromatis cujuſdam, conſervationi, & ſapori grato attenditur. Extemporaneo tantum uſui, ut & mucilagines, (I) dicantur.

§. 123.

NUPER Cel. BAUME pro conficiendo Opii extracto, cui paregorica tantum vis ineſſet, aliam propoſuit methodum; qua opium aquae ſolutum debita quantitate, bis ebullitione, & forti expreſſione peracta, in vaſe idoneo, B. A., igne ſubſtracto, & calore ebullitioni proximo, aequabili ſemper in evaporatione detineatur, vel per trimeſtre ſpatium, ſi noctu aeque, & interdiu continua, & non interrupta obtineat evaporatio; vel per duplum temporis ſpatium, ſi interdiu tantum inſtituta continuetur operatio;

tio ; nova interim addita congrua aquae quantitatė. Hoc exacto tempore, liquidum colatum inſpiſſari jubet, & *Extracti Opii longa digeſtione parati* nomine inſignitum adſervari.

§. 124.

Diutinae huic longo ſatis, & tempore, & ſermone commendatae operationi (§. ant.) parcere ſuadent 1°. brevitas, & commoditas operationum pro extractis gummeo-reſinoſis (§. 129.) 2°. nulla certitudo eorum principiorum conſervari, aut rejici dignorum, in quibus operandi ratio, hucuſque ignota, Opii lateat.

§. 125.

Hujus autem paregorica à narcotica ſejuncta virtus, ſi in partibus tantum Opii gummoſis à reſinoſis, & viroſo principio abſtractis

tractis latet, ut repetita evictum experientia videtur; melius equidem, & propoſito fini aptius erit, ſi, Cl. BUCQUETI methodo adhibita, Opium trituratione in mortario marmoreo aqua frigida tandiu ſubigatur, donec aqua non amplius colorata evadat, quam demum evaporari convenit ad extracti conſiſtentiam. Vel (quod parum differt) ad modum Cl. JOSSE, Pariſienſis Pharmacopoei, Opium tandiu in aqua moderatè tepida *malaxetur*, donec ea nullum amplius colorem acquirat; & demum artis lege inſpiſſetur.

§. 126.

INTER extracta ſolida gummoſa locum habent ea, quae *ſalium eſſentialium* nomine aliqui inſigniverunt; aliàs extracta *per triturationem*, ſive Comitis *de la Garaye*. Quoniam vero haec extracta inter perfectiora extracta

ſoli-

ſolida numerantur, eorum etiam hic loci mentionem facere operae pretium duxi.

Extracta Solida.

II. SPIRITUOSA, ſive RESINOSA.

§. 127.

Quae optime rectificato vini ſpiritu tincturae (§. 118.) juxta leges datas (§. 119.) fiunt, fundamentum ſuppeditant extractis *ſolidis ſpirituoſis*, ſive *reſinoſis*, *reſinis* alias in Officinis ſimpliciter dictis, conficiendis.

§. 128.

Illud ergo tantum, his (§. ant.) praemiſſis, notandum, quod dum extractorum ſpirituoſorum inſpiſſationi ſtudemus, ne ſpiritus vini totus deperdatur, ad certam quantitatem per vas deſtillato-

latorium abſtrahatur; hicque iterum, ſi proprio odore ſubſtantiae extractae inficiatur, in eoſdem uſus adſervetur: dum reliquo in cucurbita remanenti aqua affunditur, ut reſina praecipitatione (§. 101.) ſecedens, debita evaporatione (§. 75.) inſpiſſetur.

Extracta Solida.

III. *AQUEO-SPIRITUOSA, ſive GUMMEO-RESINOSA.*

§. 129.

Duplici modo haecce inſtituitur operatio gummatum, (§. 120.) & reſinarum (§. 127.) naturae, atque proprietatum particeps. *Primo* quidem adhibetur ſpiritus vini aquoſus (*agua ardente ordinaria*,) ſive aequalis quantitas alcoholis, & aquae fontanae mixta pro impetranda ſubſtantiae extrahendae ſolutione, juxta canones,

nes, (§. 119. 120. 127.) vel *ſecundo* ſubſtantia extractioni ſubjecta prius alcohole digeritur, &, hac tinctura educta, ei aqua ſimplex affunditur; novaque ſolutione obtenta, ambae evaporantur, ut dictum eſt, alterutrumque extractum miſcetur.

§. 130.

Fieri etiam poteſt, ſi, evaporata ſpirituoſa infuſione ad balſami naturalis conſiſtentiam, ſolutio meraca gummi cujuslibet ſimplicis, Arabici puta, admiſceatur; & ſecundum evaporationis leges ad debitam conſiſtentiam redigatur.

§. 131.

Denique id circa extractorum differentias ſciendum: extracta gummoſa aliquam ſemper reſinae portionem in ſinu fovere; inſimulque aliquas plantas aeque reſinam,

ſinam, ac gummi aqueo menſtruo largiri; eò vel maxime, ſi ſolutio in aqua calida fiat. Itidem reſinas, proprie ſic dictas, ſolius aetheris beneficio, puras obtineri.

DESTILLATIO.

§. 132.

Partium volatilium è corporibus tum ſolidis, tum imprimis fluidis craſſioribus, ope ignis, debito inſtrumentorum apparatu, facta evaporatio, ut vapores in formam fluidam collecti iterum in vas recipiens guttularum ſpecie depluant, *Deſtillatio* dicitur.

§. 133.

Instituitur pro ſeparandis liquoribus inter ſolidorum interſtitia nidulantibus; pro abſtrahendis diverſae ſpecificae gravitatis fluidis;

fluidis ; atque pro intimius uniendis iis , quibus eadem ſpecifica gravitas congruit ; unde *Abſtractio* , *Dephlegmatio* , & *Rectificatio* Deſtillationis utcumque ſynonima intelliguntur.

§. 134.

Chemicis ſolemne eſt Deſtillationis tria genera laudare : *) per *aſcenſum* , dum vapores ex vertice vaſis deſtillandum corpus continentis in alembicum impoſitum tranſeunt , ut per roſtrum guttatim exeant , quam *rectam* quoque vocant. **) *Obliquam* , *per inclinationem* , *ad latus* , ſive *per latus* , quae in retortis, igne ſubſtracto , fit , & *ſicca* etiam nominatur. ***) *Per deſcenſum* , quoties ignis ſuperius adplicatus liquidum deſtillandum in vas ſuppoſitum cogit. Poſtremus hic deſtillandi modus penè penitus exolevit ; ſecundum ad primum redigere ratio ſuadet.

§. 135.

§. 135.

In Pharmacia (I.) pro elicien-dis aquis deſtillatis ſimplicibus, & compoſitis; (II.) pro obtinen-dis ſpiritibus inflammabilibus, & rectoribus; (III.) pro deſtillan-dis aquis ſpirituoſis; (IV.) pro abſtrahendis oleis vegetabilium eſſentialibus; (V.) pro educen-dis ſpiritibus, & ſalibus alcali-nis volatilibus; iisque intimius cum ſpiritibus inflammabilibus, oleis eſſentialibus, & reſinis uni-endis; (VI.) pro conficiendis o-leis empyreumaticis, & rectifi-candis; (VII.) pro ſeparandis ſpi-ritibus acidis; (VIII.) pro com-binandis iis cum ſpiritu vini, quod acida *dulcificare* appellant; (IX.) demum pro habendo Mer-curio è Cinnabari redivivo, & conficiendo Antimonii butyro in uſu eſt.

I.

Aquae destillatae simplices, et compositae.

§. 136.

Aquae ſtillatitiae, ſive abſtractae nomine in Officinis proſtat aqua ſupra quaſdam ſubſtantias affuſa, deſtillatione iterum projecta, ut volatiles & efficaces earum partes, ſpecificas medicatas vires recondentes in uſum medicum abſtrahantur, educantur.

§. 137.

Hinc (§. ant.) aqua, quam deſtillatione ſuppeditant plantae inodorae inutilis, etſi à ſimplici aqua aliquantulum differat. Si ex unica tantum aquae ſtillatitiae ſubſtantia eliciantur, *ſimplices*; ſi ex pluribus *compoſitae* dicuntur.

§. 138.

Hisce praeviis legibus, parandae ſunt ſimplices, & compoſitae aquae deſtillatae:

1. Plantae deſtillandae recentes, matutino tempore lectae, rore adhuc madidae exſiccatis praeferantur. Utile deſtillandum exſiccatione perit; aſt, ſi tempore non congruo plantae deſtillatio inſtituenda, ſiccae, etſi minus aptae, adhibeantur.

2. Ea adhibeatur aquae portio, ut empyreuma vitetur. Plantis recentibus aquae tripla quantitas ſufficit; ſiccis maiori opus eſt, & debita maceratione.

3. Aqua (2.) contuſis paululum plantis affundatur.

4. Quae oleo tenuiori, volatiliori abundant, prae illis, quarum fixius oleum eſt, plantae ſtatim deſtillentur. Hae vero, addita foece cereviſiae, aut panis fermen-

fermento, imperfectam ſubeant fermentationem; eaque inchoata, deſtillentur.

5. Cucurbita ad duas tertias tantum partes impleatur materia deſtillanda; alembicus ſuperimponatur refrigeratorio munitus, & commiſſurae luto quodam occludantur: foramine facto, interdum reſerando, pro elaſticorum vaporum excluſione.

6. Si praegreſſa non fuerit maceratio, moderatus ſupponatur ignis, ſenſim augendus ad liquidi ebullitionem ſtrepitu dignoſcendam; quam poſtea deſtillatus latex rivuli fere in modum ſequitur.

7. Si vapores una cum liquore ſtillante erumpant, ignis imminuenda vis, & alembicus linteo frigidâ madido tegatur.

8. Operationis finis eſto, quamprimum dimidia ſuperaffuſae aquae quantitas prolecta ſit; vel, quod ſatius, eouſque continuetur, donec

donec ſapore plantae gravida deſtillat adhuc, non ultra.

9. Omnium optime inſtituitur, & ita caventur incommoda, ſi fiat in alembico B. M. inſtructo, methodo BAUMEI.

10. Cavendum, ne acidi quid foventes plantae alembicis ſtanneis, plumbeis, cupreis deſtillentur.

11. Siqua olei ſtillatitii quantitas ſupernatet, caute eximatur.

12. Spiritus vini vigeſima circiter ponderis pars aquis deſtillatis ſimplicibus miſceatur, ut melius conſerventur, vaſe vitreo, ſubere obturando occludantur. Vix autem ultra annum ſervari poſſunt, quin non ſolum mucidae, verum ingrato, aceſcente ſapore ſint; quod ſi eveniat, inſtituenda

13. *Cohobatio*, liquore deſtillato rurſus recentibus plantis ſuperaffuſo, & abſtracto: aut

14. *Rectificatio*, repetita multoties

toties deſtillatione, in uſu erit.

15. *Obſ.* hoc eodem inſtituto proceſſu, extracta ſolida gummoſa, (§. 122.) reſinoſa, (§. 127.) & gummeo-reſinoſa (§. 129.) obtineri, & inſpiſſari poſſe; & maxime, ſi partes ſubtiliores volatiles, & fixae adſervandae.

II.

Spiritus inflammabiles, et rectores destillatione eliciti.

§. 139.

Spiritus *inflammabiles*, *vinoſi*, *ardentes* nuncupati, deſtillationis effecta, uti etiam *ſpiritus*, ſic dicti *rectores*, aliquid peculiare prae reliquis deſtillationis productis habent, peculiarem quoque operationis modum expoſtulans. Id enim certum eſt illos proprium eſſe menſtruum, (§. 91.)

91.) & vehiculum partium odoratarum vegetabilium, ex quibus hi, ſpiritibus inflammabilibus ſecundantibus, facilius eliciuntur, colliguntur. Adde minori hos caloris obtineri gradu, quam aqua ſtillatitia.

§. 140.

INDE (§. ant.) aliquae oriuntur additiones, & exceptiones cōmuni deſtillandarum aquarum methodo (§. 138.—) adjungendae: &

(*) Circa ignis debitum gradum adhibendum notari meretur ſpiritus inflammabiles in vapores abire notabiliter minori gradu, quam aqua, etiam puriſſima, ideoque

(**) Alembici, quo fiant, delectus habendus. Ille de quo (§. 138. 5. 9.) commode quidem in uſu eſſe poteſt, ſi diligenter caveatur circa ignis gradum pro inſtrumenti altitudine maiorem;

aſt nullumodo talem, ut aquae, ſeu phlegmatis cum ſpiritu admixtio concedatur; alioquin rectificando, ut ſaepius opus eſt. Quae *per veſicam* fit deſtillatio, ſeu adhibito dolio refrigeratorio inter alembicum, & vas recipiens, ut & *ſerpentini* uſus non mediocria patiuntur incommoda operationis debite inſtituendae fini oppoſita. Eapropter operae pretium foret deſtillationem ſpirituum inflammabilium in ejuſmodi altitudinis alembicis peragere, quae ſpirituum aſcenſui ad capitellum uſque, calore leniſſimo B. M., faveat; cum aquoſi vapores illuc adtingere impotes iterum decidant, & ſic purus putus ſpiritus obtineatur.

(***) Notandum, quod licet ſpiritus vini ſemel, & iterum ſupra odoratas plantas affuſus deſtilletur, utplurimum vel purus, vel parum ſubſtantiae odore gravidus exit, ni odoris principia

apta

apta nata ſint eodem, ac ſpiritus, calore deſtillari: idcirco aqueo menſtruo odoratiſſimae plantarum partes facilius eliciuntur; ea tamen differentia, quod ſpiritus limpidiſſimi, aquae nonniſi lacteo colore infectae prodeant.

III.

AQUAE STILLATITIAE SPIRITUOSAE.

§. 141.

QUAE cum ſpiritu vini tenuiore, ſive aquae dimidia quantitate ſaturo, ſupra ſubſtantias in id aptas affuſo, deſtillatio peragitur, *aquae ſpirituoſae ſtillatitiae* nomine in Officinis occurrit.

§. 142.

HIS autem legibus, praeter jam dictas (§. 138.) operatio inſtituenda:

1. Ni plantae, ejusque partes recentes praeſcribantur, generalis lex eſto, ut moderate exſiccatae adhibeantur.

2. Corpora deſtillationi ſubmittenda ſpiritu vini ad aliquod tempus macerentur.

3. Maceratione peracta, ea quantitas ſimplicis aquae adjiciatur, quae empyreumati cavendo proſit; niſi ſpiritu vini tenuiori maceratio facta fuerit.

4. Nulla facta ſeparatione, & primus limpidus prodiens liquor, (*ſpiritus* denominatus,) & ſecundus lacteo colore tinctus inſimul miſceantur, & hic quidem, nulla perpetrata depuratione, adſervetur, ut omnes plantae virtutes habeantur.

5. Ne admodum lacteſcentes appareant aquae ſpirituoſae ſtillatitiae, deſtillationis modum cura: ex his aliquae, etiamſi initio turbidae, temporis progreſſu, & quiete limpidae fiunt.

6. Obſer-

6. Obſervandum haſce obtineri aquas perfectiores, ſi, maceratione ſpiritu vini rectificato facta, aqua adjiciatur, (ut 3.) quam ſi ſpiritus vini tenuior aquoſus, vulgo = *agua ardente*, = adhibeatur.

7. Item obſervandum, ſtatim aliquoties, ac deſtillatae ſunt, has aquas parum ſpecifici grati odoris prodere; qui, tempore peracto, vires acquirit, & glacie intenditur.

8. Si volatiliſſimae corporum deſtillationi ſubjectorum deſiderentur partes ab oleoſis, minus volatilibus abſtractae, cohobatio, ſeu rectificatio (§. 138. 13°., 14°.) inſtituatur.

9. Nunquam nudo igne deſtillentur, ſed B. M., (ut §. 138. 9°.)

10. Vaſis optime ſubere obturatis loco frigido adſerventur.

IV.

Olea essentialia destillata.

§. 143.

Quae in ſtatu compoſitionis, aut mixtionis ſunt *olea eſſentialia*, ſive *aetherea*, ut & ea, quae ſecreta dicta (§. 61.) ſunt, deſtillatione interveniente, facilius, & uberius educuntur.

§. 144.

Haec penetrantis ſaporis, & odoris liquida largiuntur vegetabilia odorifera, balſamica, non aequali omnibus, neque etiam eorum partibus proportione; modo enim radix, modo lignum, cortex, folia, calyces, petala, fructus, & reliqua, majorem prae aliis olei aetherei quantitatem ſuppeditare viſa ſunt; peculiari &

& plantarum, & ſuae cujuslibet partis aetatis, loci natalis, anni tempeſtatis, plantae recentis, aut exſiccatae, operationisque modi, conſideratione non praetervisſa.

§. 145.

Idcirco obſervatione dignum eſt

1°. Radices oleo eſſentiali tum maxime turgere, paulo antequam prima folia emiſerint, quod quidem juxta privum cuilibet plantae germinationis tempus (§.32.) evenire ſolet, nec exacte definiri poteſt.

2°. Eadem penitus lege, herbae maximam olei quantitatem foenerari, floreſcentiae tempore (§. 34.).

3°. Flores, feminibus formari inceptis (§. 36.)

4°. Calyces, petalis deciduis (§. 37.).

5°. Semina, & fructus maiorem

rem hujus olei quantitatem vehere, cùm perfectam maturitatem nacti fuerint (§.38.)

6°. Ligna indigena maximam olei aetherei portionem recondere, quum ſucco pleniora ſunt, quod circa hiemem (§. 40.) evenit. Exotica quae graviora, ſuaveolentiora, &c. (ibidem)

7°. Item, quae ſiccis, montoſis, aridis, aëre libero, ſicco perflatis locis (§. 26. II.) vegetant, plantas abundantiores oleo aethereo reperiri.

8°. Nec aliter ſiccam prae pluvioſa tempeſtate illius generationi, & augmento favere.

9°. Siccam prae recenti plantam maiorem quantitatem olei largiri, molis habito reſpectu.

10°. Similiter hanc prae illa plantae partem uberiorem largiri olei quantitatem, quam promiſcue per omnes partes quaerere fruſtra foret. Idcirco Cl. Vogel tabulam plantarum partem

tem oleo eſſentiali ditiorem indicantem ſubjungo ⧣

In *Radice*.
Allium.
Angelica.
Armoracia.
Calamus aromaticus.
Carlina.
Caryophillata.
Enula.
Galanga,
Imperatoria.
Leviſticum.
Pimpinella nigra.
Zedoaria.
Zingiber.

In *Herba*.
Abſynthium.
Anethum.
Baſilicum.
Chaerophyllū.
Chamaedris.
Cochlearia.
Dracunculus eſculentus.
Hyſſopus.
Majorana.
Marum.
Matricaria.
Mentha.
Millefolium.
Melliſſa.
Pulegium.
Roſmarinus.
Ruta.
Sabina.
Satureia.
Schoenantus.
Serpillum.
Tanacetum.
Thymus.

In *Floribus*.
Chamomilla.
Nardus.

Roſa.

Roſa.
Spica.

In *Calycibus.*
Lavandula.

In *Semine.*
Aniſum.
Anethum.
Apium.
Carvum.
Cardamomum.
Foeniculus.
Nigella.
Petroſelinum.
Seſeli montanum.
Sinapi.

In *Fructu.*
Amomum.
Caryophylli.
Cubebae.
Juniperus.
Laurus.
Nux moſchata.
Piper.

In *Cortice.*
Aurantia.
Caſcarilla.
Canella alba.
Cinnamomum.
Citrum.
Culilawan.
Saſſafras.

Involucris ſemin.
Aniſum ſtellatum.
Macis.

Balſama naturalia.
Copaiba.
Peruvianum.
Terebynthina.

Gummi-reſinae.
Anime.
Aſafoetida.
Ben-

Benzoe.	Sagapenum.
Elemi.	
Galbanum.	*Stamina.*
Myrrha.	Croci.

§. 146.

IN inſtituenda igitur oleorum eſſentialium deſtillatione, his (§. ant.) probè, & attente obſervatis, ſcire oportet, locum hic iterum ſibi vendicare, quae circa vaſa, modum, & cautiones deſtillationis (§. 138. 5., & praecipue (§. 142. 1°. – 5°.) dicta ſunt; his denuo tantum adjectis:

(A) Cùm olei eſſentialis parca admodum quantitas, pro adhibiti vegetabilis deſtillandi ratione, ſit; maxima ideo plantae copia operationi proſtet; & ſimiliter capaci alembico indatur, igni nudo è carbonibus accenſo imponatur; ejusque roſtro longo inſtructum collo recipiens appli-

applicetur; comiſſurae lutentur; deſtillatio procedat.

(B) Maceratio pro ſubſtantiae textura variet. Per triduum macerari convenit duriora; tot ſeptimanarum ſpatio viſcoſa; totidem denique menſium lignoſa; reſinoſa cis circiter; inciſis, contuſis, raſis, pulveratis-ve, quae id merentur, corporibus. In univerſum eo uſque inſtituenda maceratio, donec molleſcant corpora infuſa, nec fermentatio adhuc fieri incipiat: aquae item quantitas pro corporum textura varia eſt. Affundenda, quae poſſit empyreuma cavere, nec ultra.

(C) Aliquorum Chymiatrorum conſilio ſal marinus, Nitrum, Tartarum crudum, ſemunciae pro libra liquidi doſi, additur, ut fermentatio praevertatur, & ſpecifica aquae gravitas augeatur maiorem caloris gradum ſuſcepturae; itemque, ut, quae durioris ſubſtantiae ſunt, molleſ-

cant,

cant, reſerentur, breviori tempore, maioremque ideo olei quantitatem ſuppeditent. Inutile Baumeo dictum auxilium, aſt non admodum recte. Alcalina vero ſalia exulent operationis ſucceſſui nocitura.

(D) Si inchoanda fermentatio ſit (ut §. 138. 4.) addito panis fermento, aut cereviſiae foecibus, pro ſingula plantae parte, dimidia horum adhibeatur.

(E) Ut maior eſſentialis olei proventus habeatur, maceratio in aqua, ſi adſit, ſtillatitia ejuſdem vegetabilis ſubſtantiae fiat; parique ratione in ſimiles operationes ea, quae cum oleo exit, adſervetur. Alioquin aquâ purâ inſtituatur.

(F) Tenuius, ut par eſt, oleum aethereum elicitur, ſi ſpiritus vini pro aqua adhibeatur, at minori, quam par eſt, quantitate educitur.

(G) Paulo maiori gradu, quam

quam, qui pro aqua ebulliente requiritur, ignis adhibeatur, continuetur, ut deſtillans liquor rivuli ad inſtar recipiente excipiatur. Lentior, aut pernicior liquidi ſtillatio, vapores (§. 138. 7.) &c. incommoda caveantur.

(H) Tandiu operationi inſiſtendum, donec duae circiter tertiae adhibiti menſtrui partes prolectae fuerint; aut donec non amplius lactefcens, ſed limpidus tranſtillat liquor, nec ultra, ut empyreuma vitetur; vitandum aliquoties, ſi comparata liquidi in cucurbita reſidui quantitate cum deſtillata, & ſupputata ſubſtantiae deſtillandae mole, nova adjiciatur aqua fervida per ſpiraculum in cucurbita in id expreſſe factum.

(I) Aqua refrigeratorio contenta calefieri incipiens eximatur, frigida ſubſtituatur.

(L) Deſtillatio per veſicam (§. 140. **) noxia.

(M)

(M) Operatione finita, luto ſepoſito, aquae innatans, aut in fundo vaſis recipientis quantitas olei eſſentialis, pro ſpecificae mox (§. ſeq.) dicendae gravitatis ratione, reperiri datur. Recipiens multoties agitandus, concutiendus, ut, quae adhuc aqua mixtae ſunt olei particulae, uniantur; quiete denuo per biduum impetrata; & poſtea ab aqua

(N) Separetur. Vario autem modo ultima haec fit operatio. Vel 1°. ope infundibuli vitrei, roſtro digito appreſſo obturando, ut poſt aliquot temporis minuta, aqua elapſa, oleum ſupernatans impediatur, vel è contra olei ſpecifice gravioris tranſitu permiſſo, innatantis aquae elapſus arceatur. Vel 2°. Turundae è goſſipio conſtructae beneficio, altera extremitate in oleum, altera in parvum demiſſa vas, quod incommodum eſt, & olei deperditioni favet. Vel 3°. cochleari, ſi ea

eſt

eſt olei quantitas hocce ſeparari modo apta. Vel 4°. ſyringa vitrea pro levioribus, pro gravioribus autem vitreo canali utrimlibet pertuſo, in globum ſui medietate elevato, cujus inferior apex, ad fundum vaſis dimittatur. Aër incluſus exſugatur; oleum aſcendens globum implebit, & ne decidat rurſum ſuperior canalis apex digito obturetur, & ita in vas aliud, admiſſo aëre, depluet oleum eſſentiale.

(O) Vaſe vitreo, vitreo operculo inſtructum adſervetur, corio ſuperimpoſito, ne difletur.

§. 147.

Olea haec eſſentialia alia ſunt aqua ſpecifice graviora, ut quae exotica ſunt, paucis exceptis; alia vero leviora, qualia è plantis indigenis eruuntur, haecque iterum, & colore, & fluiditate variant; alia frigore denſantur; alia minime.

§. 148.

§. 148.

COLOR, & fluiditas utplurimum variat pro ratione ſoli, coeli, aetatis, ignis, vaſis, & aëris acceſſus; quae omnia ſolent conjuncta, aut ſegregata anſam praebere, ut olea ſemel elicita ſapore, odore, conſiſtentia minus rectis polleant, & rectificatione indigeant.

§. 149.

OLEORUM eſſentialium rectificatio dupliciter peragitur: vel (*) oleum, quod odore, colore, ſapore, & conſiſtentia debitis non gaudet, retortae inditur, & B. A., calore moderato deſtillatur; oleum limpidum ita exit. Deſtillationi finis imponitur, ſimul ac oleum coloratum exire incipit. Illud quod retorta contentum piceam, & terebinthinaceam adipiſcitur conſiſten-

tiam, rejiciendum; dum adſervatur primum, prouti dictum eſt (§. 146. O.) Vel (**) vetuſta, & corrupta olea recenti denuo vegetabili adjiciantur, & deſtillatione denuo tractentur, ut (§. cit.) fuſius expoſitum eſt; quae quidem melior, & praeferenda methodus.

§. 150.

Attentionem non minimam id quoque meretur olea eſſentialia multoties adulterata divendi; ideoque ea ſolum in uſu eſſe debere, quae Pharmacopoeus ipſe deſtillatione extraxit. Si vero iis uti neceſſitas urgeat, quae jam facta aliorſum ad nos veniunt, noviſſe intereſt, & quibus adulterata ſint, & quomodo dignoſcenda. Facem igitur praeferentibus viris Cl. Cl. de Chemia optime meritis, ita ſe res habet.

(*a*) Quae ſpiritu vini puro adulte-

dulterantur, aquae purae infuſa lactescentem ipſi colorem pariunt.

(*b*) Si admixto viliori oleo aethereo infucantur, mangonium difficilime detegitur; ſi vilius oleum ex eadem erutum planta fuerit; debitae conſiſtentiae, coloris, odoris notitia comparata cum ſimilibus proprietatibus olei, quod venundatur, aliquam poterit fraudem commonſtrare.

(*c*) Oleum terebinthinae, ut communiſſime evenit, admixtum, linteo oleo tali madido tentatur: quod aëri expoſitum, vel igni admotum olei vere aetherei aromaticum odorem perdit, terebinthinaceo durante. Interim tamen, detecto licet mangonio, impoſſibilis habetur ſeparatio. Si deſtillationis tempore hoc factum fuerit, difficultatem fraudi dignoſcendae parit maximam.

(*d*) Detegitur quoque haec fraus, ſi adfuſa debita ſpiritus vini quantitate, anatica ſcilicet,

olea eſſentialia facilius hoc menſtruo ſolubilia aliquantulum ab oleo terebinthinae, non adeo ſolubili, ſeparantur.

(*e*) Oleum eſſentiale expreſſo, aut unctuoſo adulteratum, papyro immiſſa, examinatur. Papyrus igni admoveatur, ut leniter calefiat; oleum aethereum in auras abit, dum expreſſum remanet. Oleum *Been* utplurimum commiſcetur.

(*f*) Hoc (*e*) etiam aut inter manus fricato, unctuoſi adhaerentis quid ſentitur reſiduum poſt evaporationem partis odoratae; aut, deſtillatione inſtituta, ſeparatur.

(*g*) Examinatur quoque (*e*) ut fucus detegatur, oleum, ſi cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, ſive ſpiritu Nitri dulci, ſive liquore anodyno minerali, ſive ſpiritu ſalis ammoniaci miſceatur, & modicè digeratur. Oleum unctuoſum non ſolutum in fundo

do vaſis adparet : eſſentiali ſoluto.

(*h*) Oleum ſpecifice levius alio ſpecifice graviori, & viliori mixtum, aqua adfuſa, ſaepius concuſſo vaſe, ſeparatur in fundum, & ſuperficiem.

(*i*) Gravitatis ejuſdem ſpecificae olea vetuſta recentibus, vilia pretioſis admixta, manibus inſtillata, hisque ad invicem affricatis, explorantur; vel linteo illita, ut genuinus olei eſſentialis odor, exhalatione facta, deperdatur, admixti odore remanente.

(*l*) Oleum eſſentiale frigore non coagulabile, alio coagulabili adulteratum, condenſatione à frigore, dignoſcitur.

V.

Spiritus, et sales alcalini volatiles, horumque cum spiritibus inflammabilibus, oleis essentialibus, et resinis combinatio.

§. 151.

Aquei ſubtiles liquores ſale volatili urinoſo plus, minus gravidi *ſpirituum alcalinorum* nomine in Officinis inſigniuntur; hosque iterum *puros* nominant; ſi vero praeter ſal aliena quaevis ſecum habeant, *impuros* dicunt.

§. 152.

Ex regno animali potiſſimum originem ducunt; vegetantia quoque putredinem perpeſſa, & aliqua ex *cruciformium* tribu *recentia* (conf. §. 27.) hos ſpiritus diver-

diverſa copia, fortitudine, & puritate foenerantur, ſi deſtillatione, igne ſicco, aperto, reverberii, aut B.A. nunc mitiori, nunc intenſiori pro ſubjectorũ compage tractentur.

§. 153.

I. Substantiae liquidiores tum ex vegetantium, cum ex animantium familia, praegreſſa inſpiſſatione liquidioris, humilioribus cucurbitis: duriores autem, & ſicciores pro re nata inciſae, raſae, contuſae retortis ſimplicibus, aut loricatis ferreis, fictilibus, vitreis indantur, deſtillentur.

II. Raſae, & comminutae ſubſtantiae, amplum occupantes ſpatium, aſt quae, adhibito igne, in minus rediguntur, uti ſunt ligna, ungulae, oſſa, cornua &c. ad collum uſque retortae immittantur.

III. Quae, admoto igne, valide

lide expanduntur, & ſpumeſcunt, addita arena, cineribus cribratis, argilla pulverata ad unam tertiam partem retortam ſubeant.

IV. Spatioſum ſatis vas recipiens, foramine ad oſtium, aëris tranſmittendi cauſa, inſtructum ad retortae, aut capitelli roſtrum, lutatis juncturis, adplicetur: luto exſiccato, nudus, ex arena, aut omnium inſtar ignis reverberii gradatim, & ſucceſſive admoveatur: cujus gradûs, & debitae intenſitatis, prouti etiam aperturarum pro aëre ſollicita habeatur cura, ne vaſa prae vaporum elaſticitate diſiliant; utque operationis progreſſus innoteſcat. Deſtillatione procedente, phlegma primò inſipidum prodit; ſenſim deinde, ſenſimque, ſoluto ſale volatili urinoſo, plus, minusve turgidum evadens *ſpiritus alcalinus volatilis* dictus, ruffi, utplurimum, coloris, & ingratiſſimi ante rectificationem odoris, quem

quem ſequitur *ſal volatilis* forma ſicca retortae collo, & excipuli lateribus adhaerens.

V. Spiritus hi optimè, iterata rectificatione, depurati vaſis paucam admittentibus quantitatem includantur, vitreo operculo defenſis, idemque de ſalibus dicendum.

VI. Obſ. Spirituum alcalinorum debilium vim intendi, ſi ſalis volatilis quantitas in eis ſolvatur.

VII. Not. Spiritum, & ſalem Succini acidum hac eadem methodo parari.

VIII. Si cum ſubſtantia ſpiritum alcalinum volatilem ſuffectura, aut cum eodem ſpiritu jam abſtracto olea eſſentialia, reſinae, & vini ſpiritus rectificatus miſceantur, ut nova exurgat combinatio; ſolius-ve ſpiritus vini cum ſpiritu alcalino intima mixtio tentanda, deſtillatio fiat igne leniſſimo, aut B. M. per alembicum vitreum.

VI.

Olea empyreumatica.

§. 154.

Eodem continuato proceſſu (§. ant.) poſt ſal volatile, ſi in ſubſtantia praeſens ſit, *Olea empyreumatica*; ſive olea aetherea, aut unguinoſa leviori, aut graviori aduſtione, quoad formam, & indolem mutata; multum ab indole ſimplicis diverſa extorquentur, ſapore acri; amaricante; nauſeoſo; urente; odore ingrato; foetido; colore fuſco; aut obſcurè rubro; ſpiſſa; immo picea conſiſtentia, diſtinguenda; quae mineralium nonnulla, omniaque vegetabilia; & animalia ſuppeditant.

§. 155.

Olea empyreumatica ex eodem Naturae Regno deſumpta, praete-

praeterea quod aliud alio craſſius, ingratiori ſapore, & odore praeditum ſit, nulla notabilis differentia intercedit; maxime vero, ſi rectificata fuerint, uti pro uſu interno deſervientibus in uſu eſt.

§. 156.

Antequam vero rectificationi committantur à ſpiritibus urinoſis, quorum pediſſequa ſunt, prius ſeparanda; quod vel per vitreum infundibulum oleorum eſſentialium more (§. 146. N.), vel per chartam emporeticam infundibulo ſuperpoſitam, & aqua madidam fiat.

§. 157.

Rectificatio autem oleorum foetidorum, ut à ſubſtantiis inſimul expulſis liberentur, uſuique medico interno deſignentur, ſit

fit quaternis, aut quinis ex retorta, prius ope lixivii alcalini cum calce viva inter ebulliendum mixti, & dein aqua lota, & qualibet vice mundiſſima, B. A. inſtitutis deſtillationibus; relicta toties in retorta octava circiter olei parte, rejicienda. Si additamenta arrideant ſuperdicta, (§. 153. III.) quibus ſubinde ſufficiens aquae purae quantitas ſuperfunditur, & abſtrahitur, repeti poterit deſtillatio; ſicque oleum ſaporis grati, aromatici, dulcis, tenuis conſiſtentiae, odoris fragrantis obtinetur.

§. 158.

Probe vero notandum haec iterum priorem facile naturam, & proprietates recuperare, eoque facilius, ſi vas, quo adſervantur, aut non ſatis repletum, vel minus ſedulò obturatum, ſaepius-ve apertum fuerit, aut vaſis collum, &

& epiſtomium ſedulò non detergatur, aut ſi aliquae ex poſtremo deſtillantibus, ſollicite ſeparandis, guttis accedant.

§. 159.

IMPEDITUR haec degeneratio; I. ſi vaſis quantitatis drachmam tantummodo aequantis capacibus ſervetur; ſubere, ſuperpoſito emplaſtro quovis, aut pice ſutoria, & corio optime occluſis; II. ſi, quod primo, & ultimò deſtillat, ſeparetur; ne, quod inter haec exit, optimum, puriſſimumque rectificatum oleum inquinetur.

VII.

SPIRITUS ACIDI.

§. 160.

TRIPLEX Naturae Regnum, deſtillatione ſicca, liquidum acidum,

dum, *ſpiritus acidi* nomine notum, ſuppeditat, gravitate, acrimonia, volatilitate, atque ſpecifica indole admodum diverſum; maxime tamen in mineralibus, ac vegetabilibus abundat, illud licet è Regno animali etiam eruere Chemici docuerint.

§. 161.

Ex vitriolis, nitro, & muria hi ſales forma fluida eliciuntur, itemque ex vegetabilibus eodem generatim deſtillationis adhibito proceſſu, aſt pro ſpecifica eorumdem indole vario. Peculiarem enim deſtillandi modum quodlibet ex mineralibus expoſcit, nullis generalibus, & utrislibet communibus legibus definiendum, atque, cùm de ſingulis deſtillandis agetur, inſtituendum.

§. 162.

QUAE autem in univerſum dici debent, ſunt, quod

(*a*) Vaſa firma, & ampla ſemper adhibeantur, vitrea, terrea, optime lutata.

(*b*) Deſtillatio igne nudo, aut B. A. fiat.

(*c*) Ignis ſucceſſive, & gradatim adplicetur ad ſummum uſque, pro diverſae gravitatis ratione.

(*d*) Retortae adhibendae, non admodum capaces ſint, aut roſtrum non valde fornicatum. B. A. deſtillaturae ad dimidias arenae immittantur plus, minus-ve pro ſpecifica acidi indole, & gravitate.

(*e*) Auferendo aquae ſuperfluae partem, ſive id evaporatione, ſive rectificatione fiat, acida concentrantur. Nitrum, & Muria concentratum acidum debita

bita adhibita encheireſi, largiuntur,

(*f*) In ampullis vitreis, vitreo cochleato operculo obſeratis ab aëre, humiditate, & ſordibus libera adſervari debent.

VIII.

Spiritus acidi dulcificati.

§. 163.

Acida, praecipue mineralia, dulcificari dicimus, quum nativam eorum indolem, & acrimoniam, combinatione cum ſpiritu vini facta, ita occultare, & tollere ſtudemus, ut corpus mixtum grati ſaporis, aut inſipidum fiat. Liquet igitur cum *edulcoratione* alibi (§. 102.) dicta non confundendam hanc fore operationem, alias diverſiſſimam.

§. 164.

Eam ſic peragere debemus :

I. Attentione facta ; quod acida mineralia ſpiritu vini mixta violentiſſime efferveſcant , caute admodum hic ſuſcipiendus labor. Plurimum enimvero refert ſpiritus vini acido, an verſa vice acidum ſpiritui ſuperfundatur : primum namque fortiſſimam efferveſcentiam , & forſan vaſa exiſilire facit ; acidum ergo ſpiritui affundendum , idque , partitis vicibus , partiali finita efferveſcentia , & concuſſo vaſe , repetendum ; Vitrioli , Nitri , aut Muriae acidum ſit.

II. Ambobus ſic mixtis liquoribus , in quiete reponantur vaſa ad aliquot horas , ut perfectior evadat mixtio.

III. Deſtillatio è retorta fiat recipienti magno ope leviſſimi luti unita , igne leniſſimo , aequali, aut B. M.

IV. Dummodo bene inſtituatur deſtillatio, non admodum ſcrupuloſe acidi quantitas quantitati ſp. v. reſpondeat, opus eſt; acidum enim abundans in retorta remanet, novo admixto ſpiritu, rurſus deſtillandum.

V. Vitrioli ſpiritus dulcificatus vaporum tenuium, & ſubtilium ſub forma elevatur, qui parietibus excipuli in fila recta, limpida adhaerentes condenſantur. Sciendum autem hoc ordine juxta Cl. Baume deſtillationis producta procedere, ut 1°. ſpiritus vini non alteratus, 2°. ſpiritus vini aromaticus, acido vitriolico alteratus, 3°. AEther, 4°. Phlegma acidulum, 5°. Primum acidum ſulphureum, volatile, 6°. Oleum dulce n°. 4°, & 5°. ſupernatans, 7°. Oleum citrinum ponderoſius fundum petens, 8°. Secundum acidum ſulphureum, 9°. Oleum vitrioli nigrum, ſpiſſum, ſulphureum; 10°. Sulphur ſubli-

ſublimatum, 11°. Bitumen in fundo cucurbitae appareant.

VI. Spiritus dulcificati vaſe vitreo, vitreo epiſtomio ſerventur.

IX.

MERCURIUS DESTILLATUS REDIVIVUS, ET ANTIMONII BUTYRUM.

§. 165.

MERCURIUS vivus venalis plumbo, ſtanno, biſmutho multoties adulteratus depurationem (§. 65. 3°.) ordinariam ludit; unde, quo purus evadat, uſuique medico aptus, è retorta deſtillandus.

§. 166.

HIS autem ſub probe obſervatis legibus deſtillatio perficienda:

I. Retortae vitreae, aut terreae ſimplici, aut loricatae in B. A. mercurius indatur, cujus roſ-

tro adaptetur excipulum ad tertiam partem aqua frigida plenum, ita, ut roſtrum ad dimidium aperturae in aqua ſubmerſum ſit.

II. Igne poſtea accenſo, ſucceſſive, & gradatim aucto, Mercurius in vapores abire cogatur, qui aqua condenſati ad fundum excipuli iterum fluentis hydrargyri ſub forma colliguntur: aqua decantetur, & Mercurius per linteum, poſtremo per corium trajiciatur (§. 65. 3°.), uſuique ſervetur: &, ſi aliqua ſuperſit adhuc admixti alius metalli ſuſpicio, deſtillatio repetatur, dictoque modo procedat.

§. 167.

Solemnis autem, ut puriſſimus obtineatur Mercurius, Chymicis mos eſt, eum è propria minera, debitis additamentis ſubjunctis, eruere, deſtillationis beneficio: plerumque ex Cinnabari nati-

nativa eum educere cōmune eſt, ſive ex ſulphuris, & hydrargyri naturali aggregato. Quo rite, recteque electo, juxta omnes ſuae bonitatis notas

1°. Subſtantia ſulphuri, quam Mercurio affinior additur, uti ſunt ſubſtantiae terreae, alcalinae, metallicae; praecipue vero ferri limaturae p. ae.: hisque in pulverem tritis, mixtisque,

2°. Retortae ad duas tertias immittatur, deſtillatioque inſtituatur, prouti pro ſimplici deſtillatione (§. ant.) dictum eſt.

3°. Si terreas potius addere placeat ſubſtantias, harum tres partes ad unicam Cinnabaris addendae; reliqua eadem. Mercurius hoc modo elicitus in Officinis *Mercurius redivivus*, *Mercurius è Cinnabari redivivus* nuncupatur: qui ſemper pro uſu interno praeferendus.

§. 168.

Inter Chemicas medicamentorum praeparationes per deſtillationem factas, locum habet *Cauſticum antimoniale*; butyri antimonii vulgari, licet ſatis improprio, nomine notum; quod ex unione acidi marini concentratiſſimi cum antimonii regulo exſurgit.

(A) Retorta ad dimidium impleatur antimonio crudo, & mercurio ſublimato corroſivo tritis, recipiens vas adaptetur, & luto commiſſura defendatur.

(B) Ignis gradatim augeatur, & lenis admodum ſit.

(C) Primis operationis momentis liquidum ſuboleoſum deſtillat, quod nil, niſi ſpiritus ſalis, eſt; ſubſequitur aliud ſpiſſius, ſenſim magis album redditum, quod ad retortae collum utplurimum adhaeret. Vitatur hocce

ce incommodum, ſi furno reverberii operatio inſtituatur; vel ſi in B. A. fiat, candentes prunae continuo ſupra retortae collum applicentur, ut fluat butyrum.

(D) Vaſis refrigeratis, butyrum extrahatur vaſe vitreo, vitro occluſo ſervandum.

(E) Omni licet adhibita cura, hocce deſtillationis productum non album, ſed griſeo tinctum colore prodit: ideo rectificandum, eodem adhibito apparatu, & cautionibus.

(F) Reſidua Cinnabaris artificialis ſublimanda erit.

SUBLIMATIO.

§. 169.

HANC operationem cum deſtillatione ſtrictam admodum ſervare analogiam ita conſtat, ut ſublimationem *ſiccam* appellare

deſtil-

deſtillationem A. A. nulli dubitent: diſcrimen vero intercedit, quod deſtillatio pro elevandis, & guttatim abſtrahendis volatilioribus fluidorum partibus inſtituatur, aut pro ſeparandis, & educendis liquoribus inter ſolidorum interſtitia haerentibus (§. 132.); ſublimatio vero in uſu ſit pro elevandis, & forma ſicca obtinendis ſolidis partibus in maſſam plus, minus-ve denſam coeuntibus; unde *florum*, aut *ſublimati* nomen, & diſcrimen venit.

§. 170.

Ut purum ab inquinato ſordibus liberetur; ut volatiles corporum partes ab admixtis fixis ſeparentur; ut volatilia inter ſe uniantur; ut fixa corpora cum volatilibus conjungantur, inſtituitur; unde varia nunc *educta*, nunc *producta* eliciuntur, *ſimplici*, aut *compoſita* ſublimatione facta.

§. 171.

§. 171.

FIT juxta generales hos dicendos canones, in peculiaribus deſcribendis operationibus forſan reſtringendos:

*) Vaſa, & reliquus apparatus chemicus, eadem, ac pro deſtillatione, adhibeantur: ſic vel in cucurbitis variae magnitudinis, leviſſime chartaceo cucullo tectis; vel caeco, aut roſtrato alembico munitis: aut in retortis vitreis, terreis-ve, ſimplicibus, tubulatis, nudis, vel loricatis: aut in vulgari ola, alia ſuperpoſita ejuſdem magnitudinis, cui-ve charta in conum efformata apponatur, vel demum in olis, quarum aut nullus fundus ſit, aut largo inſtructus foramine, (*Aludel* vocant) aliis ſupra alias ſeſe mutuo inverſas excipientibus, quarum ſummae caecus adaptatur alembicus.

**)

**) Pro varia ſublimandorum corporum denſitate, & ſpecifica gravitate, quin & diverſa principiorum volatilitate, nunc fortior, nunc debilior ignis gradus adplicandus; aliis mitiſſimus ſufficit, aliis ad ſummum illico evecto igne opus eſt, alii tandem ſucceſſivum, & per gradus adhibitum poſtulant; nudum, aut ex B. A.

CALCINATIO.

§. 172.

Quae operatio per ignem, aut menſtrua mixtum cogit à priſtina ita deflectere natura, ut in pulverem fatiſcat, aut in friabilem ſubſtantiam reducatur, *Calcinatio* Chemicis dicitur. In *actualem* idcirco, & *potentialem*, iterumque in *ſiccam*, & *humidam*; *perfectam*, & *imperfectam* deſtribuitur: varias interim ſortita denominationes, & gradus.

§. 173.

Tostio, ſive *Torrefactio*, quae in vegetabilibus, & animalibus obtinet, hisque alium ſaporem, odorem, colorem, immo & alias conciliat vires, fit, dum corpus torrendum prius pulveratum ſupra patinam ferream, aut terream vitreatam, igne moderato impoſitum ſpathula ferrea identidẽ movetur, donec fuſcum acquiſiverit colorem, aut coffeae colori ſimilem.

§. 174.

Ustio, aut *Combuſtio* circa eadem corpora locum habet, quae igne non perfectè calcinanda ſunt, ſed in fragiliorem conſiſtentiam redigenda, ſervata interim & forma, & partium cohaeſione, etſi leviſſima. Haec vaſis ſuſcepta clauſis, in nigros donec carbones abeant, igni exponuntur; ſi vero aper-

apertis tractentur vaſis, eouſque igni pateant, ut colorem acquirant album, nec dilabantur.

§. 175.

Incineratio eadem reſpiciens vegetabilium, & animalium corpora, fit, dum ipſa igne aperto tandiu comburuntur, donec in pulverem, *cinerem* dictum, corruant.

§. 176.

Huc quoque referenda ſalis marini *decrepitatio*, dum illud igni expoſitum, vaſe aperto, propria diſiliens crepitatione in pulverem redigitur, & pelluciditatem amittit, ut pro aliquibus operationibus requiritur.

§. 177.

Nitri quoque *detonationem* huc refer, ſi id cum ſubſtantiis inflamma-

ſlammabilibus mixtum deflagrationem cum ſonitu, ſtrepitu, & fulgore, admoto igne, concipit. Fit in crucibulis candentibus.

§. 178.

Usum quoque in Pharmacia habet *calcinatio immerſiva*, ſive *per menſtrua*, alias ad ſolutionem (§. 79.) redigenda; & *calcinatio vaporoſa*, ſeu *Philoſophica* nuncupata, quae tunc maxime fieri conſuevit, ſi calcinanda corpora vapori, aut fumo corrodentis, aut gluten naturale eliquantis menſtrui exponuntur; ſive alembico ſuſpenſa, ſive ſacculo incluſa lineo; vapori-ve aquae digeſtionis, vel ebullitionis tempore aſcendenti obnoxia.

§. 179.

Calcinatio autem proprie ſic appellata, ſive per ignem facta, pro

pro calcinandis metallis, & reliquis foſſilibus inſtituitur, quibus materiale cohaeſionis principium deſtruit; ſicco, & violento interveniente igne, vel ſolo, vel ſalinis, & ſulphureis admixtis, ſiccam ſolutionem juvantibus. Crucibulis apertis, aut tegula tectis utplurimum fit, vel ad Solem per ſpeculum cauſticum.

FUSIO.

§. 180.

Corpora ſolida praecipue metallica, ſi ignis actione in fluidam formam abeant, *fundi* dicuntur, & operatio *Fuſio*, ſive *ſolutio per ignem* Chemicis nuncupatur. Differt ab ea, quae cum oleoſis, & pinguibus ſuſcepta eſt, *liquatio*, aut *liquefactio* audiens. Fuſio inter operationes medico uſui deſtinatas obtinet in conficiendo *Lapide infernali*, rectius Cauſtico lunari dicto.

VITRIFICATIO.

§. 181.

PER ignem quoque violentiſſimum corpora fixa per ſe, vel aliquo addito liquata in corpus plus, minus-ve pellucidum, durum, fragile, igne immutabile, menſtruis plus, minus, aut nil ſolubile, quod *vitrum* dicitur abeunt; unde vitrificationis etymologia. Unicum hujuſce operationis productum in Officinis proſtat; nimirum *Vitrum antimonii.*

PARS

PARS TERTIA.

De Medicamentorum compoſitione, et mixtione.

§. 182.

Sic abſolutis, quae ad medicamentorum mechanicam, & chemicam praeparationem attinent, quae nunc ad eorumdem mixtionem, & compoſitionem ſpectant, dicenda. Medicamentorum variae mixtiones triplici diverſa conſiſtentia gaudent: *liquida*, aut *fluida*; *molli*, ſive *media*; & *ſolida*, *duriori*, *ſicca*-ve. Hinc eorum qualisqualis claſſificatio penderet, ſi ſtatutus ordo à ſimplicioribus ad magis compoſita naturalem progreſſum non innueret. Inter hucuſque dicta plurima reperiuntur ad medicamentorum compoſitio-

ſitionem reſpectum habentia, ſuis quaelibet conſulenda locis. Proxime ad chemicas proprie dictas praeparationes Sapones accedunt; ideoque; inter agendum de ſimplicium, & praeparatorum medicamentorum mixtionibus, ab horum notitia exordium ducere operae pretium erit.

DE SAPONIBUS.

§. 183.

Quae olim ſalium alcalinorum fixorum cum oleis pinguibus exactae mixtioni, & combinationi *Saponis* denominatio tantum conveniebat, hodie plus, minus-ve ſolidae olei cujuſque, & ſalis alcalini, aut acidi; fixi, aut volatilis miſcellae in corpus oleis, & aquae patens, eaque inſimul uniens, atque in ſpiritu vini item ſolubile accommodatur.

§. 184.

Hinc (§. ant.) naturalis emergit ſaponum diviſio in alcalinos, & acidos; in fixos, volatiles, ſemivolatiles; in duros item, & molles, prouti varia duorum componentium fuerit natura, & combinationis firmitas.

§. 185.

Est autem ſapo fixus alcalinus, alias vulgaris etiam dictus maſſa ſolidiuſcula, conſiſtentia ſebi hircini, albida ſectilis, ſubplaſtica, ſublubrica, odore aut nullo, aut vix ingrato, ſapore pingui, ſalſo.

§. 186.

Hic (§. ant.) rarius quidem à Pharmacopoeo paratur, ſed confectus emitur, his autem notis

tis pro uſu interno ſeligendus

1°.) Qui albus, ſciſſilis, Venetus ſit.

2°.) In aqua pura aequabiliter ſolvatur, ſolutione limpidiuſcula, opaleſcente.

3°.) In aqua ſolutus (2) olei ſupernatantis quidquam non dimittit.

4°.) In aëre libero, humidulo etiam, non humeſcit.

5°.) Salis alcalini ſenſum linguae non imprimit.

6°.) Odoris expers alieni.

§. 187.

Qui autem in Officinis parandus erit pro uſu medico, ex calcis vivae, & ſodae Hiſpanicae lixivio ex ſ. q. aquae purae facto, filtrato, & concentrato, cum debita olei communis optimi, aut amygdalini portione mixto, & inſpiſſato, recta adhibita encheireſi, ſit.

§. 188.

Ex acidorum ſaponum, etſi difficillima, confectione ſpes affulget magni momenti remediũ Rei Medicae futurum. Cel. Achardi, & Cl. Macqueri induſtria, & repetitis laboribus patet plurimis difficultatibus hancce operationem premi, quam nuper Cl. Macquer ita inſtituit. Sapo alcalinus ex oleo communi factus acido vitrioli concentrato immittatur, trituretur ad ſyrupi conſiſtentiam. Hoc inſtituto, & protracto labore, maſſa ſpiſſa, pinguedinis inſtar, fuſca, & evidenter acida emerget, quam ſpiritus vini, & aqua deſtillata frigida aeque ac ſaponem alcalinum ſolvunt. Solutioni in ſpiritu vini factae ſal Glauberi, & Tartarum vitriolatum combinationis tempore nata demittenti tantundem olei Tartari ad proximum ſaturationis pun-

punctum, quantum id poſſibile fuerit, addatur; quo fit, ut nova iterum Tartari vitriolati quantitas praecipitetur. Liquor filtratus leniſſimo igne evaporetur. Simul ac liquoris quantitas incipit imminui, oleoſorum globulorum coloris ſubflavi pedetentim adunanda congeries ſenſim, ſenſimque univerſam maſſae ſuperficiem contegit; donec refrigerata materia in flavam, ſebi, aut pinguedinis aemulam ſubſtantiam cogitur, liquore, cui ſupernatat, rejecto, adſervanda. Haec denuo materia aqua ſoluta, & debita evaporatione ad perfectam ſiccitatem redacta, ſapo acidus, albus, omnibus ſaponum dotibus gaudens evadit

§. 189.

Non minor eſt parandi ſaponis *Chymici*, *Tartarei*, *Starkeyani* ab Inventore dicti, difficultas Chemi-

Chemicorum vere Principum acriter ingenia torſit operatio tempus, patientiam, & dexteritatem requirens, varie idcirco variis in Diſpenſatoriis deſcripta, quam tamen Cel. BAUME contractiorem redidit; dum ſali Tartari, ſub porphyriſatione, paulatim ſufficientem olei terebinthinae quantitatem, nullūmodo determinandam, inſtillari jubet; cui ſi tantillum terebinthinae, aut ſaponis communis addatur, breviori tempore combinatio fit in corpus ſaponaceum.

§. 190.

DIFFICULTAS operationis; incertitudo; naturae, & virium mutabilitas tantum laboris, & operae in hujuſmodi praeparatione conſumere diſſuadent, cui ipſa aſſervationis diuturnitas varium colorem, odorem, & conſiſtentiam inducens pro ratione olei varia; ſalis cujuſdam neutri cryſtalliſa-

tallifatio, &c. &c. compoſitionis, & medicarum virium, (fortè perperam nimis,) ei adſcriptarum conſtantiam evidenter denegant. Illuſtria ſapientum Medicorum Collegia Londinenſe, Edimburghenſe, Svecicum, alia ſaponem Tartareum è ſuis Pharmacopoeis proſcripſerunt tandem.

§. 191.

Facili negotio parantur alia ſaponum genera ſola trituratione, & ſimplici commixtione indigentia.

DE SPECIEBUS.

§. 192.

Hoc medicamenti genus obtinet, ſi plura ſimplicia conſciſſa, aut ruditer contuſa, non autem pulverata, commixta in ulteriorem adſervantur uſum.

§. 193.

Mos olim obtinuit, ut pulveribus quoque compoſitis pro electuariis, puta, adſervatis ſpecierum titulus imponeretur; hodierno autem tempore, hoc ſub nomine comprehenduntur omnia, quae è Regno Vegetabili frequentiſſime petita, rarius ex animali, rariſſime ex minerali deſumpta, in fruſtula ſeorſim aequalis magnitudinis comminuuntur, comminuta miſcentur, mixta adſervantur; ut inde debita quantitate infuſa, aut decocta parentur interno, externo-ve uſui dicata.

§. 194.

Hinc (§. ant.) patet quaenam ſpecierum ſit materia, quibuſque uſibus aptae ſint: in ipſis tamen componendis delectu, & attentione opus eſt. Nam

1°.

1°. Quae infuſionibus dicantur, has ne ingrediantur talia vim ſuam ſola decoctione liquido cõmunicatura.

2°. AEque inutiliter aget, qui decoquendis aromatica miſceri curabit.

3°. Turpiſſime peccat, qui inutilia, viribusque medicis deſtituta ſpecierum formulas onerare ſinit.

4°. Si radices ingrediantur craſſae, in taleolas dividendae; haeque iterum in fruſtula minora.

5°. Gummata, & reſinae, ſi adſint, contundendae.

6°. Quaelibet ex ſubſtantiis ſciſſis, aut tuſis ante mixtionem ſupra ſetaceum cribrum excutiatur, ut pulvis decidat. Quantitas uniuſcujuſque determinata ponderatur, aliae-ve aliis mixtae ligneis pyxidibus, aut vitreis ampullis ab aëre ſubere defenſis adſervantur.

DE SYRUPO, MELLE, ET OXYMELLE.

§. 195.

Syrupus, Graec. Συρȣπὸς à σύρω traho, & ὀπὸς ſuccus, dicitur medicamentum internis dicatum uſibus, fluidum ex ſuccis, infuſis, decoctis, ſaccharo, aut melle addito, paratum, ut aliis medicamentis gratiam, conſiſtentiam, aut durationem conciliet. Veteres, quibus ignotum erat ſaccharum, melle parabant *ſyrupum*, quem hodie talem dicunt ſaccharo confectum; *mel medicatum* autem appellant veterum ſyrupum; & *oxymel*, ſi cum melle acetum admiſceatur.

§. 196.

Infinito pene numero in Pharmacopoliis proſtant hujuſmodi compo-

compoſitiones, quibus ſequior uſa fuerat aetas, & quas nunc vix in aliorum medicamentorum gratiam, aut combinationem recipimus, pauciſſimis exceptis, quas probata cōmendavit virtus. Malo namque conſilio e. g. ex amaris, abſynthio puta, ſyrupos parari decernitur; ſacchari enim & vero miſcellâ ex medicamento ſtomacho aliàs amico, nauſeoſum, & ſtomacho moleſtum emergit aliud.

§. 197.

Pro conficiendis ſyrupis ſequentes obſervandi veniunt canones.

I. Quae de ſuccis (§. 52.) infuſionibus (§. 106.—111.) & decoctionibus (§. 115.) dicta ſunt, eodem hìc modo obſervanda.

II. Alii ad ignem, abſque igne alii fiunt. Qui ex inodoris parari ſolent, ſive ii ex ſuccis, infuſis, aut decoctis fiant, leni igne, aut

aut ebullitione ad debitam conſiſtentiam praegreſſa parantur; acidis vegetabilium exceptis, ſola ſacchari ſolutione frigida in ſyrupum vertendis. Spirituoſa autem, aromatica, & id genus alia, quorum vires caloris actio peſſundat, ſaccharo frigida miſcenda.

III. Puriſſimum ſaccharum pro ſyrupis conficiendis adhibeatur, ſive ad ignem, ſive abſque ignis adminiculo parari debeant; idemque circa mel retinendum. Quo puriora, minus ad fermentationem apta ſunt; rapide alias progreſſuram, ſi cum partibus ingredientium extractivis, ſimiles ſacchari, aut mellis admiſceantur.

IV. Defectu puriſſimi ſacchari, commune ſaccharum aqua ſolutum, ovi albumine depuretur (ut §. *68.*), & ad debitam ſpiſſitudinem coquatur. Coctionis autem gradus diverſi ſunt; aut enim 1°. coquitur, donec gutta in marmor,

mor, aut ſtanneum orbem fuſa conſiſtat, nec mota diffluat, vel inverſo ſubjecto decidat; (*ſyrupum* abſolute, & *ſimplicem* vocant;) aut 2°. coquitur ulterius, ut omnis fere abſumatur humiditas, & pauculum ſpathulae adhaerens, in aëra projectum, in floccos inſtar nivis abeat: (id vocant ad perfectionem coqui, vernacule *ponto de cabêllo.*) Quo flocci maiores, & latiores, ſaccharum exactius coctum, & minus ſuperfluae humiditatis reliquum eſt.

V. Sacchari quantitas etſi dupla liquidi in univerſum ſtatuatur, ſuas tamen haec lex patitur exceptiones hic enumerandas.

(α) Pro ſeptemdecim cujuslibet infuſionis, decoctionis, aut ſucci aquoſi unciis, binae ſumantur ſacchari librae civiles, (§. 14.) ſi nihil evaporandum.

(β) Pro ſexdecim ſuccorum acidorum, ſalinorum, aromaticorum,

corum, deſtillatorum liquidorum unciis, viginti octo ſacchari ſumantur unciae.

(γ) Solvatur itaque pro omnibus par ſacchari quantitas; paulatim deinde pulveratum admiſceatur ſaccharum, donec in vaſis fundo, agitatum licet, maneat intactum, leni B. M. calore ſolvendum.

VI. Ex acidis, aut fructuum ſuccis conficiendi ſyrupi, neque aheneis, neque ſtanno obductis fiant vaſis.

VII. Qui coctioni ſubmittuntur Syrupi, niſi puriſſimo (III.) ſaccharo conſtent, ovi albumine (IV.) depurentur. Syrupus de meconio (§. 72.) excipiatur, virtutis alias jacturam facturus, ideoque puriſſimum poſtulans admiſcendum ſaccharum.

VIII. Syruporum coctorum debita conſiſtentia exploratur, vel ut (IV.) dictum eſt, vel poſt clarificationem leniter ebulliendo,

ſi

ſi cochleari parca recepta quantitas, eo aliquantiſper inclinato, in lachrimam eformatur; vel, ſi flatu adacto, pellicula apparet ſenſim rugoſa; vel demum ſi, cochleari inclinato, ſyrupus guttatim effluat, & quaelibet gutta veluti retrahatur ad cochlearis marginem. Alioquin, ſi modum coctio excedat, in cryſtallos abeunt.

IX. Eodem modo circa mella officinalia medicata mercandum; hac ſola differentia, quod in explorando decoctionis termino mellis cochleare in orbem ſtanneum dilabatur, & quieſcat uſquedum refrigeretur. Refrigeratum ad dimidium eodem cochleari ſeca; ſi partes diviſae ad aliquod tempus, quin uniantur iterum, conſiſtant, coctionis debitae terminus adeſt. Vel etiam melle ad pedis altitudinem ſupra orbem elapſo, id, ſi adhaereat, & non reſiliat, coctum, ut decet, judicatur. Hoc autem non abſ-

que

que piaculo praetervidetur; mel enim non aptè coctum fermentationem patitur, qua medicamentum deſtruitur: coctionis vero etiamſi modum excedat, cryſtalliſatur quidem, virium autem deperditionem non experitur.

X. Syrupi non prius in vaſa infundantur, quam perfecte refriguerint, ne vapores aquei iterum decidentes mucori, & fermentationi faveant.

XI. Terreis, & potiſſimum vitreis ſerventur vaſis, ſubere occluſis, loco frigido: ampullae ſeligantur librae tantum capaces, & minores adhuc, ſi incluſi ſyrupi uſus non adeo ſit frequens.

XII. Syruporum duratio vix ultra annum extenditur; ideo, eo elapſo, renovandi ſunt.

DE

DE LOOCH.

§. 198.

Ex ſimplici ſyruporum miſcella, & quandoque mucilaginibus, ovi vitello, oleis preſſis recentibus, & aliis adinvicem mixtis evadit compoſitio, quam Graeci *Eclegma* ab ἐκλείχω, Latini *Linctus* à lingendo, Arabes *Looch*, *Looh*, dixerunt, conſiſtentiae inter ſyrupum, & electuarium, medicamentum internum per vices ore ſumendum, detinendum, ut liqueſcat, & deglutiendum adverſus oris, faucium, & pectoris morbos praeſcribi ſolitum.

§. 199.

Hoc compoſitionis genus Officinis olim jam paratum proſtans, hodie in medicamentorum extemporaliter parandorum ordi-

nem recipitur; eo & quod diu aſſervatum ſat cito fermentet, & corrumpatur.

§. 200.

In praeſcribendo eclegmate haec ſervanda:

1°. Tenerrima, & facile liqueſcentia recipiantur; ſicca, ſolida abſint.

2°. Eodem modo acria, ingrata exulent.

3°. Pinguia, mucilaginoſa, rancida, alio-ve modo corrupta vitentur.

4.°. Si olea aquae miſcenda, ovi vitello interveniente, ad dimidiam, aut aequalem partem adhibito, id fiat; aut ſapone, ſi conveniens ſit. Terenda autem ſatis fortiter inſimul in mortario eburneo, aut lapideo ſyrupus, & oleum, addito ſacchari triti tantillo; hujus autem quantitas relativa hoc fere ſe habet modo, ut

pro

pro duabus ſyrupi unciis, & una olei, ſacchari recipiatur drachma. Sin autem ſubſtantiae oleoſae, gummeo-reſinoſae, & ſimiles aliae miſcendae, praeter ſaccharum; ſaponem, ſyrupum, & ovi vitellum, dicta, pulveres è Tragacantha, aut gummi Arabico in uſu ſint, drachmae ſemis, aut unius ſcrupuli quantitate, pro ſingulis ſyrupi duabus unciis.

5°. Cum proprius conſiſtentiae gradus non ſit, aquae quantitas, aut ſyrupi addendi, ſi craſſior; ſacchari vero ſicci, & contriti, ſi dilutior evadat, ſufficiens quantitas Pharmacopoei relinquitur arbitrio: interim probe animadverſo, craſſitiem potius ſuaderi, ne pinguia ab aquoſis ſeparentur.

6°. Fictile receptum, bacillo glycyrrhizae raſo, altera extremitate contuſo, & in penicillum efformato, delingitur.

DE EMULSIONE.

§. 201.

Medicamentum internum, liquidũ, lactescens, oleoſo-aqueum, ope mucilaginis, ſeu ex pingui materia cum aquoſo menſtruo trita, non vero exacte ſoluta, factum, *Emulſio*, ſeu *Emulſum* ab *emulgere* dictum eſt.

§. 202.

Emulsionum duplex cenſetur ſpecies, aut enim proprie, & vere ſic dicta eſt, cui materiam ſuppeditant ſemina emulſiva nuncupata, & nuclei oleo gravidi, uti ſunt ſemina quatuor frigida maiora, & minora (§.23.); amygdalae dulces, & amarae, nuclei juglandum, pinearum, ceraſorum, piſtachiarum &c. &c. aut notha eſt, ſeu improprie dicta,

cta, cui materiam praebent oleoſa difficilius in aqua ſolubilia, ex. gr. balſama liquida, ſpiſſiora, ſolida, gummi-reſinae, camphora; gummi vera in menſtruo aquoſo trita, liquorem lacteſcenti aemulum exhibentia.

§. 203.

Ut autem probe hoc medicamenti magiſtralis, & extemporanei genus paretur, haec prius monenda operae pretium duximus:

(*a*) Minus emulſionibus apta eſſe illa, quae non albida ſunt, & cum aqua trita lac imitari non potentia; ideo

(*b*) Semina maiora, & nuclei ſuis prius corticibus, & tunicis orbentur, ni aliter praeſcribatur.

(*c*) Si acria, amara, aut aromatica, quorum color, odor, ſapor, & virtus rarius conveniunt, praeſcribatur, nec definita quantitate

titate id fiat, & Pharmacopoei arbitrio per *ſ. q.* relinquatur, reſtricta horum quantitas adhibeatur ad gratum ſaporem tantum, aut odorem.

(*d*) Rancida ne ſint, ex quibus paranda emulſio.

(*e*) Eodem modo acida vitanda, emulſionem deſtructura.

(*f*) Si ſubſtantia aqua non ſolubilis recipiatur, v. g. camphora, aut reſinae &c. nec à Medico modus, quo miſceri debet, determinatur, gummi Arabicum, ovi vitellum, aut ſaponis tantillum admiſceatur.

(*g*) Emulſionum vehiculum, menſtruum-ve praebet aqua ſimplex pura; deſtillata plantarum; infuſa, & decocta aquoſa; quod nec ſpiſſitudine, nec alia dote injucundum eſſe debet, neque acre, & quo ſimplicius, eo aptius.

(*h*) Menſtrui (*g*) & materiei emulgendae (§. ant.) proportio utplurimum à Medico ordinanda;

da ; aſt ſi in univerſum emulſio praeſcribatur, non definitis menſtrui, & materiae doſibus, ſciendum emulſa triplicis conſiſtentiae dari, *dilutiſſima*, *ſpiſſiora*, & *media*. Pro dilutiſſimis a duodecupla ad vigecuplam pars menſtrui pro unica emulgendi adhibetur : pro ſpiſſioribus tripla ad ſextuplam ; pro mediae conſiſtentiae emulſis octupla, aut decupla proportio erit. Media autem, niſi aliter praeſcribatur, conſiſtentia commendatur : in qua ad menſtrui libram unam emulſivorum ſeminum, aut nucleorum ſeſcuncia ſufficiens eſt.

(*i*) Emulſa vera (§. ant.) facile aceſcunt ſerius, ocyus, pro tempeſtatis vario calore : aeſtate ad 6., vel 7. horas durant ; hyeme ad plures horas incorrupta permanent.

§. 204.

Quae ex ſeminibus verae emul-

ſiones

ſiones fieri debent, hoc modo; his (§. ant.) praemiſſis, & attentis, parandae. Semina, aut nuclei corticibus, & tunicis (loc. cit. *b.*) liberati in lapideo, aut eburneo mortario exacte in paſtam contundantur, menſtrui tantillo ſenſim ſub contuſione affuſo: reliqua dein adjecta menſtrui copia, & ſtudioſe mixta, per linteum, leni preſſione juvante, coletur; illique demum alia pro Medici intentione adjungenda acceſſoria ſecundum regulas artis adjungantur. Interim notare expedit, quod, ſi emulſio ſaccharo edulcoranda erit, vel id puriſſimum poſt colationem miſceatur, vel, ſi non ſuppetat puriſſimum, minus purum cum ſeminibus teratur, & coletur.

§. 205.

Nothae emulſiones (§. 202.) fiunt, 1°. ſi gummi-reſinae prius con-

contundantur, ſolae, vel combinatae (§. 203. *f.*) cum aqua terantur, colentur, ut emulſiones verae (§.ant.). 2°. Si balſama ovi vitello, mucilagine, diu, & multum ad perfectum connubium uſque terantur, & in reliquo (ut §. ant.) tractentur.

DE MIXTURA.

§. 206.

Sola variorum inter ſeſe mixtione parata fluida medicamenta, interno deſignata uſui *Mixturae* Medicis dicuntur, in aliquas ſubdividenda ſpecies, his ſub denominationibus *Julapii*, *Mixturae*, *Mixturae contractae*, & *Hauſtus* comprehenſas.

§. 207.

Quae dilutiſſimae ſunt, fere diaphanae, aut pellucidae; ſapore

pore gratae; odore ſuavi, vel nullo; colore prae primis rubello; è ſuavibus paratae liquoribus, ut aqua ſimplici ſtillatitia, infuſis, aut decoctis dilutis, & ſimilibus; potum hinc ſuavem exhibentes tribus, quatuor, aut pluribus propinandum doſibus, *Julap*, *Julapium*, *Juleb*, *Julab*, & *Julepus* dicuntur.

§. 208.

Mixtura proprie dicta, Julapio (§. ant.) minus diluta, minus grata, minus item pellucida, at minore mole efficacior eſt, una, vel pluribus ſumenda doſibus, ingredientibus varia proportione admiſtis conſtat.

§. 209.

Mixtura *contracta* minima doſi efficax, ex illis, quorum virtus exigua ſub mole latitat, conflata,

flata, è ſpirituoſis quammaxime, aut ſimilibus fit, & quia per guttas plerumque praeſcribitur adſumenda, *Guttae* quoque dicitur.

§. 210.

Haustus, unica ſumendus doſi, idem eſt ac Mixtura (§. 208.)

§. 211.

In parandis mixturis parum; aut nihil peculiare obſervandum; ſi enim facile miſcibilia praeſcribantur, ut plures aquae, infuſa, aut decocta, ſimplici, id admixtione optimè fit: ſin autem ea, quae difficilius aquae mixtionem ſubeunt, admiſcenda ſunt, prius intermedia alia ſubſtantia terantur, ut pro emulſionibus (§. 203. *f.*) dictum eſt.

§. 212.

Notari autem & hoc meretur, quod ſi acida praeſcribantur adjungenda, ut in *Julapiis* (§. 207.) plerumque commune eſt, id ne fiat vaſis aheneis, ſed aut lapideis, aut vitreis, aut eburneis, ſi medicamenti natura triturationem exigit. Triturationis autem beneficio opus habet mixtura, quae inter liquida, ſalia, tenuiſſimos pulveres, gummi, gummi-reſinas, balſama, reſinas, olea eſſentialia, & ſimilia recipit, quae prius ſaccharo, aut gummi terenda, liquido interim paulatim adfuſo, ad perfectam mixtionem.

DE

DE CONDITIS.

§. 213.

Condita à *condire* adpellata ſunt ſubſtantiae ſaccharo, ceu tectorio quodam obductae, ſive eae ſint ſemina, ſive fructus, aut horum cortices, quin & aromata, ut gulae potius arrideant, quam ut medicamenta evadant. Sunt autem mediae conſiſtentiae, quas *gelatinas*, aut *myvam* fructuum vocant; aut ſolidioris, quas propriè *condita* dicunt. Maximam horum ſuppeditabant olim copiam veteres Pharmacopoeae poſt inventum ſaccharum, quam jure nunc ex Officinis relegatam videmus, dulciariorum Piſtorum curas exercituram.

DE CONSERVIS.

§. 214.

Dicitur *Conſerva* compoſitio, qua quodvis vegetabile recens, minutiſſimè conſciſſum, contuſum, & ſaccharo permixtum ſub electuarii ſimplicis forma futuro uſui medico in Officinis adſervatur. Ex definitione igitur data, & materia, & modus, & forma conſervae conſtat.

§. 215.

Aliqua tamen ſunt, quae ſpecialem merentur attentionem:

1°. Recentia folia, ut & flores à petiolis, pedunculis, & calycibus craſſioribus mundantur, ne filamentoſae conſervae evadant.

2°. Sacchari proportio addenda dupla in univerſum cenſetur,

ſetur, ratione plantae; tripla etiam, ſi ſuccoſior ea ſit. Saccharum autem puriſſimum, ſiccum, album, in pulverem tritum ſit, & per ſericeum cribrum (*Tamis*) trajectum.

3°. In mortario marmoreo lignei piſtilli ope planta, (1°.) aut ejus pars minutim conſciſſa in pultem contundatur, cui paulatim ſacchari (2°.) determinata quantitas adjicienda, donec in uniformem maſſam fiat.

4°. Quae (1°.) ſicciora ſunt, tantillo aquae adhibito, terantur, miſceantur.

5°. Quae contuſioni non obſecundant, ut uniformis evadat maſſa, uti ſunt aurantiorum cortices, radenda, ſaccharoque mixta, ad aliquod ſeptimanas adſervata in vaſe clauſo, iterum contundantur, ut aequabilis omnino maſſa exurgat.

6°. Talis conſiſtentiae maſſa ſit, quae molliuſcula licet, non tamen

tamen liqueſcat. Nimis enim mollis, ad fermentationem prompta, brevi corrumpitur: duriuſcula ſpontaneam exſiccationem patitur.

7°. Cum ad modicum tantùmodo tempus conſervarum duratio attingat, ex plantis igitur, quas Pharmacopoeus ſaepius intra annum recentes habere poteſt, paucam, ſed iteratam faciat conſervam: vetuſtae namque, aut non optimae (6°.), aut planè inertes ſunt.

8°. Conſervae jam paratae vaſis fictilibus, aut vitreis cylindricis amplis indantur, adſerventur loco frigido.

9°. Ut integras poſſideamus plantarum vires, hyemali tempore; ut aegrorum conſulamus palato; ut aliis medicamentis compoſitis admiſceantur &c. conſervae parantur.

§. 216.

§. 216.

OMNIBUS hiſce conſervis, pauciſſimas ſi excipias, commune eſt, ut vix annum integrae attingant, quin fermentationem ſint paſſae; quae quidem intra aliquot dies ſaepius evenit.

§. 217.

AD hoc vitandum incommodum, quo hujuſce compoſitionis natura in omnibus ſuis dotibus alteratur, ſunt, qui ſuadeant, ut ſingulis hebdomadibus conſervae iterum ſpathula moveantur, forte jam prae fermentatione tumentes, ut de novo commiſceantur. Sola methodo, quam Cl. BAUME commendat, tale averti poſſe incommodum ratio, & experientia ſuadent; in eis praecipuè, quorum virtus exſiccatione non deperditur; in plan-

tis quippe, quae virtutem à recenti tantum ſucco habent, ut antiſcorbuticae, locum haecce methodus non habet.

§. 218.

Methodus autem haec eſt. Plantae, ejus-ve partes, è quibus parari debet conſerva, ſiccentur, & in pulverem redigantur, vaſis vitreis optime ſubere occluſis, & ab aëris acceſſu defenſis ſervandum; tumque eo, quo utenda, tempore, conſerva fiat, addita ſub & tripla, aut quadrupla ſacchari quantitate, triturationis ope, ſenſim affuſa ſ. q. aquae fontanae, aut deſtillata plantae, è qua fit, donec in paſtam efformetur.

§. 219.

Pro eodem ſcopo (§. ant.) ſaccharum jam pulveribus mixtum, ut

ut dictum eſt, adſervatur debita quantitate, ac demum, tempore opportuno, aquae ſ. q. adjungitur. Notandum autem ſacchari proportionem eſſe in ratione deperditionis ponderis, quod exſiccatione perit, non illius, quod ante exſiccationem plantis erat.

DE ELECTUARIO.

§. 220.

MEDICAMENTUM ex diverſis ingredientibus pulveriſatis ſyrupo, aut melle exceptis, & in mollem, ſpiſſiuſculae terebinthinae ſimilem conſiſtentiam redactis factum, *Electuarium*, *Electarium*-ve in Officinis appellatur; quod ſecundū variam compoſitionis conſiſtentiam, ingredientium virtutem, hujusque amplam extenſionem diverſa ſortitum fuit nomina.

§. 221.

SIC *Confectio* à longo jam tempore, ut & adhuc hodie Electarium dicitur, ſi ſpiſſioris conſiſtentiae ſit. *Opiatum* vocatur, ſi opium accedat. *Antidotum*, aut *Theriaca* ſi venenis obtundendis, & expellendis, ut credunt, dicatum ſit; *Mithridatium* quoque appellant. *Bolus*, ſi unica praeſcribatur doſi bucca cōmode ſuſcipienda, (unde *buccella* etiam quibuſdam audit,) dicitur.

§. 222.

CONFECTIONIS, *Opiati*, & *Electuarii* nomen indiſcriminatim electariis inditur; dum *Theriacae*, *Antidoti*, *Mithridatii* vocabula pro ſic appellatis inconcinnis, compoſitionibus adſervantur; *Bolusque* nuncupari ſolent electaria ex Magiſtrali praeſcriptione conficienda in unicam tantum doſim.

§. 223.

§. 223.

MATERIAM ſuppeditant medicamenta vel ex ſe, vel aliorum permixtione dictae conſiſtentiae apta; hinc mollia, magis, minusve ſpiſſa, Pulveres, Olea, Rob, Pulpae, Extracta, Tincturae, Spiritus, Syrupi, Conſervae ejuſmodi ſint, ut commode in aequabile compoſitum miſceri queant; odore, ſapore, colore non injucunda; neque deliqueſcentia, exhalantia, efferveſcentia, putredini apta, aut acorem facile contrahentia. Simili quoque modo cum draſticis, metallicis, & mercurialibus remediis mercandum, minus aequabili mixtione, aut ſeceſſu, minus-ve curioſa doſium partitione, periculum illaturis.

§. 224.

INTER paranda electuaria ſequentes uſuveniunt canones:

I. Quae hucuſque circa pulverum (§. 44. & ſeq.) praeparationem, decocta conficienda (§. 115.), ſubigenda pinguia, reſinoſa (§. 203, ſ.) dicta ſunt; eodem hic modo intelligenda.

II. Pulpae, ſi ingrediuntur, vel melle, aut ſyrupo, decoctove praeſcripto incoquendae ad debitam conſiſtentiam; vel, excuſſa prius per evaporationem ſuperflua humiditate; liquido excipienti addantur.

III. Eodem modo gummi, & ſucci inſpiſſati tepido liquore prius ſolvantur; uti etiam ſalia, ſi addenda veniunt, ut aequalis horum per reliquam maſſam fiat deſtributio.

IV. Pulverum praeſcriptorum adjectio paulatim fiat; interim maſſa ſtrenuè, & aſſiduè ſpathula lignea agitetur, ut uniformis evadat.

V. Odorata, & ſubtilem halitum ſpirantia, frigefacto jam

Ele-

electuario, miſceantur.

VI. Electuaria adſtringentia morâ virtutis deperditionem factura parva quantitate conficiantur; ſimiliter ac ea, quae ex fructuum pulpis parantur.

VII. Ingredientium proportio vix poterit aliqua cum certitudine determinari; probe ſi perpendamus varias tam excipientium, quam excipiendorum conſiſtentias nullis definiendas legibus. In univerſum autem, data ſiccorum mole, & natura eâdem, quò excipientia liquidiora ſunt, minori horum quantitate, ut ſubigantur, opus eſt; atque ubi ſiccorum moles minor eſt, ſpiſſiora excipientia; ubi maior, dilutiora adhibere commodius eſt. Hinc, poſita ſiccorum v. g. drachma una, & excipientia ſpiſſiora praeſcribantur, horum uncia una addatur; ſi minus ſpiſſa expetantur, drachmae tres; ſin autem liquidiora ea juxta praeſcriptio-

ptionem eſſe debeant, drachmae duae adjiciantur.

VIII. Excipientium quantitas frequentiſſime Pharmacopoei arbitrio per *q. ſ.* relicta juxta modo perſcriptam (VII.) regulam dirigatur.

IX. Saccharum, & mel communia electariorum excipientia ſunt. Illud non exigitur puriſſimum; exigitur autem, ut ſit ad debitam ſyrupi conſiſtentiam (§. 197. IV.) coctum. Mel autem coctum, deſpumatum, eaque conſiſtentia praeditum, quae (ibid. IX.) dicta eſt.

X. Fermentatio, ſi locum habet, ut in aliquibus electuariis, & accelerari debeat, agitatio aliquot diebus ad horae quadrantem iteranda.

XI. Uſus electuariorum in Officinis aſſervatorum praecipuus eſſe videtur, ut fiat plurimorum inter ſe miſcella; mixtorum conſervatio in longum tempus, quinimo

imo etiam in annos; nova virtus ex cunctorum unione exurgens; ut alia aliis temperentur, & benigniora reddantur; ut tale medicamentum in promptu ſit; formaque gaudeat, ut ingeratur, commoda.

XII. Horum plurima mucori obnoxia ſunt, quem in ſuperficie contrahunt; & inde alterationem patiuntur; alia autem exſiccantur, & vermibus exeduntur. Haec adjecta vini Canarienſis modica quantitate in meliorem frugem reducuntur: mel, aut ſaccharum ne addideris, ut ingredientium proportio debita peſſum non abeat.

XIII. Electuaria alia ad annum uſque durant; alia vix annum attingunt; alia demum ad viceſimum, & ultra inalterata perſtant, vaſe fictili vitreato, aut vitreo aſſervata.

XIV. Quum autem maxima horum pars, (oſtentationis potius,

&

& ignorantiae ſpecimen,) in Officinis aſſervata ſerius, ocyus corrumpantur ; ſatius fore arbitratus eſt Cl. BAUME , ut , occaſione data , pulveres , ex quibus ea componuntur , vaſis optimè obturatis (ut pro conſervis dictum eſt §. 218.) adſervati , ſaccharo, melle , aut alio excipiente miſcerentur , eoque modo harum compoſitionum corruptioni , & virtutum alterationi cautum eſſet.

§. 225.

CUM verò hi pulveres , aeque humiditatis bibuli non ſint , aliique prae aliis maiorem humidi portionem abſorbeant , ſequentes Ipſe ex obſervatione praeſcripſit leges , quas pro hujuſce capitis coronide ſubjungimus.

„ Plantarum , lignorum , corticum , florum , & ſimilium pulveres triplum ſyrupi , aut mellis abſorbent. „

„ Gum-

„ Gummi-reſinae tantundem ſui ponderis. „

„ Reſinae, & balſama ſicca aliquantulum minus ſui ponderis ſyrupi excipientis abſorbent. „

„ Corpora mineralia, ut ferri ſcobes, lapis haematites, antimonium &c. dimidium ſui ponderis. „

„ Salia alcalina fixa decimam tantum ponderis partem è ſyrupo attrahunt. „

„ Salia neutra dimidiam cis circiter ſyrupi quantitatem exigunt. „

§. 226.

HAEC autem (§. ant.) obtinent praecipue circa ſubſtantias, ex quarum unione nulla actio, & reactio mutua, decompoſitio &c. eveniunt; aliàs ſyrupi, aut alius excipientis proportio pro re nata varianda.

DE

DE PILULIS.

§. 227.

PILULA, tanquam parva pila; ſeu *Catapotium* à Graeco καταπίνειν *deglutire*, ſive σφαίρια *ſphaerula* Galeno dicta, eſt medicamentum ſolidum, ſphaericae figurae piſi utplurimum magnitudine ex pulveribus, gummi, extractis &c. liquido idoneo exceptis factum; integrum deglutiendum.

§. 228.

SUB hac potiſſimum forma in uſu eſt propinare medicamenta parva doſi efficacia, uti etiam ingrato, aut forti odore praedita; atque illa etiam, quae ſtomachum diluta ſubvertunt; ſive, quae in tranſitu faucibus prae acrimonia nocerent; nihilominus ac, ut medicamentum diutius in ven-

ventriculo, & ductu inteſtinali perſtet inſolutum: & aegrorum tandem voluptati ſatisfiat.

§. 229.

OMNIS fere Materies Medica in pilulas efformari poteſt: ſeliguntur autem maxime ea, quae huic formae apta ſunt, aut per ſe, aut aliorum interveniente admixtione; qualia cenſentur ſicca tenacia, uti gummi, gummi-reſinae, reſinae naturales, ſucci inſpiſſati, extracta ſolida; ſicca, pulverulenta, interne exhibenda, & potiſſimum, quae minuta doſi efficacia ſunt; ut & ſpecifice graviora; mel, terebintina, balſama, confectiones molles electaria, ſyrupi, & alia.

§. 230.

I. Sicca, friabilia, alius-ve commatis in pilulas efformanda,

eoque ipſo in pulverem redigenda, juxta canones (§. 46.) circa *Pulveriſationem* datos pulverentur.

II. Pulverata (I.) mixta, ſufficienti ſyrupi, mellis, confectionis mollis, conſervae, aut ſimilium Pharmacopoei arbitrio, & dexteritati relinquenda quantitate, piſtillo fortiter ſubigantur in mortario ferreo, aut marmoreo tandiu, donec uniformis, laevis, ductilis maſſa evadat.

III. Syrupus, ſi adſit pulveres excepturus, ea ſpiſſitudine ſit, quae (§. 197. IV. 2°.) dicta eſt, ut compactior evadat pilularis maſſa; non tamen adeo tenax, ut ſtomachi illudat vim, & actionem.

IV. Ideo, ſi excipiens (III.) abſolute praeſcribatur, aut ſi pilularis maſſa adſervanda ſit, mucilagines ne adhibeantur; poſt aliquot dies adeo indurandae, ut pulverari poſſint pilulae.

V. Quamvis deliqueſcentium ſalium reſtrictior quantitas, aut exhalantium locum hic habeat; quantum fieri poteſt ex hoc medicamenti genere exulent, alias debitam maſſae conſiſtentiam (II.) turbatura.

VI. Tenacia, uti gummi, reſinae, aut gummi-reſinae, extracta, electaria firmiora genuinam pilulae conſiſtentiam nacta, eamve facile contractura, vel calido piſtillo tractentur, ut aequabiliora fiant; aut tantillo idonei liquidi, interpoſito-ve alio pulvere pro re nata ſubigantur.

VII. Si vero aliis addenda veniunt difficulter pulveranda, ut reſinae, aut camphora, alia-ve ſimilia, idque extemporanea praeſcriptione, tantillo ſpiritus vini ſubigenda potius, quam melle, ſyrupo, aut conſerva, ſimilibusve, medicamenti volumen adaugentibus, doſimque incertam reddentibus.

VIII.

VIII. Gummi, & ſucci inſpiſſati affuſo praeſcripto liquido molleſcant; pulveres addantur, in maſſam optime mixtam ſub contuſione continua efformentur.

IX. Mutua ingredientium, & excipientium proportio, quia eorum varia eſt conſiſtentia, exacte definiri nequit: tenacitas ductilis, & mollities debita proportionem utcumque determinant; ſedulò adnotato pro aliis liquidum, pro aliis pulverulentum excipiens requiri.

X. Pilularis maſſa ſic (à I. — IX.) efformata in pilulas redigitur, dum parva, & determinata illius quantitas tres inter primores digitos in orbem cietur, ut in ſphaerulam, aut figuram ovalem olivae ſimilem effingatur; digitis interdum idoneo pulvere defenſis, ut pilulae non adhaereant. Glycyrrhizae, lapidum cancrorum, eboris, & ſimiles pulveres huic ſcopo aptiſſimi ſunt.

XI.

XI. Pilularum magnitudo, & pondus diverſa ſunt ratione ingredientium, aetatis aegri, & conſuetudinis Regionum, praecipue autem pro varia Medici intentione haec determinaturi; à gr. I. ad V. utplurimum fiunt pilulae. Illarum autem juſta, & aequalis magnitudo peculiari machinula deſtribuitur; aut ſupra maſſae longum, teretem cylindrum ſignatur, conciditur, rotatur, ut (X.) dictum eſt.

XII. Quae auri, aut argenti foliis obduci jubentur, manuum volis ſyrupo, aut alio liquido madidis iterum rotatae ſupra folia dicta una poſt alteram imponuntur, ut ſcatula incluſae in omni ſenſu leniter moveantur. Quae autem taliter obduci non jubentur, dictis pulveribus, aut pulvere amyli, radicis Iridis Florentinae, aut Lycopodii inſpergantur, ne mutuo coaleſcant.

XIII. Quae in Officinis proſ-

tant maſſae pilulares compoſitae, ſerventur in veſicis liquido interdum irroratis, quod ad maſſae confectionem adhibitum fuit: eoque, ſi ſiccae, praeſcriptionis momento, ſint, iterum ſubigantur, & efformentur. Satius eſt pulveres, ut pro electuario (§. 224. XIV.) in promptu habere, occaſione data, in pilulas efformandos.

DE TROCHISCIS.

§. 231.

Hoc ſub medicamenti genere comprehenduntur tales ſiccorum pulverum, ſubſtantiarum viſcoſarum ſaccharo, aut mucilagine factae mixtiones, quibus varia figura varium ſuggeſſit *trochiſci*, *paſtilli*, *bacculi*, *morſuli*, *morſelli*, *rotulae*, *teſſellae* nomen; dum *in triangulares*, *orbiculares*, *quadratas*, *pyramidales*, *cylindricas*, *rhom-*

rhomboidales, & alias pro lubitu figuras formantur.

§. 232.

In univerſum ſolidi electuarii nomine jam appellare dudum conſtitutum eſt hoc medicamentum pilulis affine; non tamen integrum deglutiendum, ſed in eclegmatis modum (§. 198.) ſenſim in ore, ut deglutiatur, ſaliva ſolvendum.

§. 233.

Fit ex materia ſimili illi, ex qua electuaria, boli, pilulae coaleſcunt: haeque iterum jam deſcriptae compoſitiones illud ingrediuntur fluidioribus, aut viſcoſioribus mucilagineis, tenacibus, ſyrupo &c. exceptae; eoque demum fine haec mixtio inſtituitur, ut ingratiora minori adſumantur faſtidio; ut ſenſim ore

ſoluta, lingua, fauces, & vicinae partes lubricae reddantur; ut tandem portatilia habeantur medicamenta.

§. 234.

In his autem parandis ſequentia retinenda:

I. Quae de parandis, atque pro electuario, & pilulis miſcendis pulveribus (§. 224. 230.) dicta ſunt, huc referenda; eo tantummodo adnotato, ut extrema tenuitate gaudeant pulveres ſi uſui interno trochiſci deſignentur.

II. Si pro excipiente ſyrupus adhibeatur, ea conditione ſit, qualis (§. 197. IV. 2°.) dicta eſt. Mel pro excipiente abſit, quippe quod ad aërem humeſcit. Mucilago autem potiſſimum in uſu eſt, ſi de adſervandis trochiſcis quaeſtio ſit, eos poſt exſiccationem ab aëris injuriis defendens, & diutius conſervans.

III.

III. Pulverum ingredientium quantitas pro ſacchari, ſyrupi, aut mucilaginis ratione vix poterit proportionaliter, attenta varia horum natura, & viribus, determinari; in univerſum pro conficiendis tabellis uncia una ad quatuor pulverum pro libra una ſacchari adhibetur. Maior pulverum quantitas difficultatem in conficiendo parit maximam, ſaccharum ſubito refrigerando. Si mucilago adhibenda ſit, ea quantitate hoc fiat, ut maſſa pilulari ſimilis ſub contuſione evadat.

IV. Varia licet, & arbitraria forma pro aſſervandis trochiſcis ſit, uſus tamen obtinuit, ut trochiſci appellentur hae maſſae in figuram excrementorum muris, aut poſt globulum factum digito, aut piſtillo depreſſae, in lupini formam, & magnitudinem redactae.

V. Ut facilius fiant, & maſſae adhaeſio ad digitos caveatur, vel

vel hi oleo quodam dulci, aut aromatico idoneo inungantur, vel, glycyrrhizae, aut amyli tenuiſſimo interſperſo pulvere, incommodum vitetur.

VI. Super cribro inverſo, loco perflabili umbroſo, ſaepius hinc inde verſati ſiccentur, vaſisque vitreis, aut figulinis vitreatis ab aëre probe, ne humeſcant, defenſis adſerventur, ad annum duraturi; melius autem aegrorum negotio conſulitur, ſi quemadmodum pulveres pro conſervis, electuario, pilulis aſſervantur, pro trochiſcis idem fiat.

§. 235.

Si de parandis *morſulis* agendum ſaccharum in dimidia circiter ſui ponderis parte aquae ſuper igne ſolvitur, & in conſiſtentiam (§. ant. II.) debitam redigitur; cui pulveres admiſcentur, & ſpathulae ope exacta mixtio efficitur,

tur. Maſſa ſuper chartam oleo inunctam projicitur, & refrigerata in variae figurae morſulos, doſi non limitata, cultro ſciſſa denſatur; in qua requiritur cum ſoliditate fragilitas, & cohaeſio non lenteſcens.

§. 236.

In *rotulis* autem parandis ſaccharum tritum, & pulveratum in vaſe ex orichalco ad ignem ſubcontinua cum ſpathula agitatione eo uſque incaleſcat, ut digitus immiſſus calorem ferre nequeat, nec ſaccharum diffluat. Hujus unciae uni, una circiter liquidi, aut ſucci deſignati drachma adjicitur, empyreumate cauto, celeri continuata agitatione, donec omnia ſimul, & aequabiliter ſoluta ſupra marmor effunduntur in rotulas, aut orbiculos denſanda poſt refrigerium. Aut eodem, quo morſuli (§. ant.) more

more fiunt : eo attento, quod; ſi ſucci acidi accedant, vaſis figulinis utendum, non vitreatis, neque vaſis aheneis locum eſſe.

DE CATAPLASMATE.

§. 237.

Cataplasma à καταπλασσω (illino, fingo, formo) nomen habens, eſt medicamentum magiſtrale, topicum, molle, pultis conſiſtentiae, cohaerens, calore non deliqueſcens. Dividitur in *coctum*, & *crudum*; illud, coctione interveniente, paratur; hoc, ſola maceratione, tritu, & mixtione, fit.

§. 238.

Primum, (§. ant.) quod *Puls* etiam, & *Epiplaſma* vocatur, proprie cataplaſmatis nomen gerit, illique materiem praebet triplex Naturae Regnum; praecipue

pue vero Vegetabile radices, folia, flores, fructus, herbas, cortices, bulbos, ſemina, & ex his paratos pulveres, farinas, & ſuccos inſpiſſatos largiens. Pauciſſima Animale, & Minerale Regnum ſuppeditat, ſi ſtercora, ova, nidum hirundinum, mel; plumbi praeparata exceperis, quae omnia aqua, vino, aceto, mulſa, lacte, ejusque ſero, oleo preſſo, & cocto, decoctis, infuſis, ſuccis expreſſis, urina, butyro, axungia, unguento incoquenda, & in maſſam pultiformem, his legibus parandam, efformanda.

§. 239.

I. Cataplaſmatis materia mollis eſto, aut coctione juxta canones (§. 115.) molleſcant, conciſſis, tuſisque ſubſtantiis durioribus, & coctis in pultem, vel *ad putrilaginem*, ut vulgo dicitur; empyreumate caute vitato.

II.

II. Recentes vegetabilium partes ſiccis praeferantur.

III. Duriſſima, ad putrilaginem decoqui neſcia, in pulverem redacta adjiciantur.

IV. Aromatica, quae virium jacturam ſub coctione faciunt, rectius in pulverem trita, opportuno tempore, cataplaſmati addantur.

V. Succoſiora veluti poma, rapae, bulbi ceparum, liliorum alborum, & ſimilia calido ſub cinere aſſentur, priuſquam adjiciantur.

VI. Salia, ſapo, mel, ſi addenda ſint, liquido ante coctionem ſolvantur.

VII. Decoctione facta, liquor coletur, plantae, & reliquae ſubſtantiae coctae mortario marmoreo in pultem, ligneo ancillante piſtillo, redigantur, per ſetaceum colentur; huicque demum pulpae, quae pulverata (III. IV.) ſunt, miſceantur; &, vel paululum

lum decoctionis ſi ſpiſſior evadat, iterum adhibetur ad debitam conſiſtentiam, vel, ſi dilutius cataplaſma fuerit, ad ignem ſuperflua evaporetur humiditas ſub continua cum lignea ſpathula agitatione, ne empyreuma contrahat.

VIII. Ingredientium proportio mutua cum determinari nequeat, horum alicujus doſis Pharmacopoeo ad lubitum relinquenda, qui, in genere, hoc modo ſe habere debet, ut pro octo partibus cataplaſmatis herbarum, florum, & ſimilium partes quatuor liquido decoctas; farinae, & reliquorum duas; pinguium demum unam recipiat, & reliqua juxta praeſcriptos canones agat.

IX. Ut varia in hujuſmodi proceſſu incōmoda vitentur, conſultius viſum eſt plantarum, & reliquarum ſubſtantiarum pulveres adſervare vaſis vitreis optime occluſis, (ut pro conſervis,

&

& electuariis §§. 218. 224. *XIV.* dictum eſt) quibus debita liquidi quantitas adjungatur, ut puls fiat; ad ignem calefaciendo, & continuo agitando, ut uniformis, & aequabilis maſſa paretur.

X. Huic, (IX.) uti etiam aliis cataplaſmatis (à I. ad VIII.) aromatici pulveres (IV.) olea ſtillatitia, ſpiritus, tincturae, eſſentiae, & ſimilia, ſi praeſcribantur, ſub finem addantur, compoſitione pene penitus frigefacta.

XI. Unguenta, ovi vitellum, & alia pinguia, cataplaſmate adhuc tepido, adjungenda.

§. 240.

Cataplasma crudum ſpiſſitudine bolo, aut electuario ſimile, *Paſtae*, *Epithematis mollis*, aut *ſolidiuſculi* nomina ſortitum, in eo à priori (§. ant.) cocto differt, quod hìc nulla coctio accedat, ſed ſola ſubſtantiarum ingredi-

gredientium mixtio in pultiformem maſſam, quae tuſione imprimis obtinetur, vel cum herbis recentibus, radicibus bulboſis, fructibus mollibus, per ſe ſolis; vel dum pulverata materies liquido excipiente recepta ſub continua agitatione in pultem coit; vel demum, recentium vegetabilium defectu, ſi ea ſicca macerantur, molleſcunt, tunduntur, in cataplaſma efformantur; unde evidenter patet ex eadem materia, & eodem excipiente parari poſſe, (ac §. ant.) ſola ignis abſentia, *crudum cataplaſma.*

DE LINIMENTO.

§. 241.

Linimentum ab *illinendo* dictum, alias *litus* nuncupatum, eſt medicamentum externè adplicandum conſiſtentia inter oleum, & unguentum media.

§. 242.

§. 242.

Fit ex materia pingui, uti ſunt olea preſſa, infuſa, aut cocta; butyrum, axungiae, oſſium medullae, unguenta, cera, reſinae, gummi-reſinae, quibus mucilagines, ſpiritus, balſama liquida, tincturae, olea eſſentialia, ſapo, mel, & ſimilia linimenti conſiſtentiam commodè ſubitura adduntur, his fere ſequentibus regulis adhibitis.

§. 243.

I. Si olea preſſa, cocta, infuſa, & ſtillatitia linimenti materia ſunt, haec ſimplici omnino mixtione jungenda.

II. Si oleis liquida aquoſa, ſalina admiſcenda veniunt diuturno tritu, vel coctione, ut aqua difletur, combinanda.

III. Si reſinae, aut gummi-reſi-

reſinae, cera, emplaſtra-ve, ſive duriora, igne tamen liqueſcentia, accedant, igne liquentur, ut perfectam ſubeant mixturam.

IV. His ſi ſpirituoſa ſint addenda, id remote ab igne, liquamine frigefacto, fiat.

V. Unguenta, vitellum ovi, mel, ſapo, ſi miſcenda pro linimento ſunt, vel ſimplici, & diutina trituratione miſcenda, vel ad ignem liquata.

VI. Lubrica mollities, & aequabilis concilietur mixtio per omnes gradus, qui inter olei tenuitatem, & unguenti ſpiſſitudinem ſunt: debitae conſiſtentiae exemplum habebimus, ſi uncia una cerae cum unciis quatuor olei ſolvatur.

VII. Ad vitreatum fictile detur; vaſe-ve clauſo, ſi ſpirituoſa, aromatica, facile diflanda acceſſerint, includatur.

DE

DE UNGUENTO.

§. 244.

Ad linimenta (§. 241.) proxime accedit *Unguentum*, ſive medicamentum officinale externum, ex oleoſis, & pinguibus paratum; tali conſiſtentia, ut nec frigore ſolideſcat, nec temperato atmoſphaerae calore difluat; verbo, axungiae, butyri, mellis, aut mollis electuarii aemula praeditum: cui lubrica item mollities tenacitatis, & aſperitatis expers, homogeneaque ingredientiũ mixtio non deſit.

§. 245.

Simpliciter *mixtum* audit; quod ex apta materia, ſolo, tritu, liquatione, aut commixtione, coaleſcit. *Coctum* appellatur, quod è vegetabilibus, aut eorum parti-

partibus oleo, axungiis, &c. eo-uſque mitiſſime coctis, donec omne humidum exhalaverit, paratur. Dicitur *nutritum*, ſi ex oleo pingui fiat, cui ſub continua agitatione acetum quoddam, vel ſpiritus alcalinus ad perfectam mixtionem affunditur, ut inde maſſa inſtar cremoris lactis alba evadat. *Balſami artefacti ſpiſſioris* nomen obtinet, ſi olea eſſentialia, balſama naturalia, reſinae, camphora, moſchus, aut ſimilia accedant. *Pomatum* etiam appellant grati odoris unguentum, cui pomorum additio nomen dedit. Atque haec ſunt celebriores unguentorum diviſiones, quibus

§. 246.

MATERIAM ſuggerunt cera, pix, reſina, gummi-reſina, balſama naturalia, pinguedines, medullae, olea preſſa, emplaſtra duriora, oleo emollita, ſucci,

& partes vegetabilium, pulveres quandoque, tritu, coctione, ſimplici commixtione, pro re nata, in debitam conſiſtentiam (§. ant.) coacta.

§. 247.

Hos vero juxta nunc ſubjungendos canones fieri debet:

I. Quae circa linimenti compoſitionem (§. 243.) dicta ſunt, pro unguentis etiam parandis intelligantur.

II. In *ſimpliciter mixto* parando pauca admodum notanda veniunt; talis namque utplurimum ejus materia eſt, quae, ſimplici commixtione, aut leniſſimo igne facta liquatione, aut demum aſſidua trituratione, ſubigatur, miſceatur. Cui tamen, ſi terebinthina addenda ſit, hujus tenacitas prius ovi vitello, axungia, aut alio unguento praeſcripto dividatur. Si vero pulveres illud recipiat excipientis olei, aut

aut alius pinguis ſubſtantiae quantitatem excedentes, olei tantillo iterum addito, in debitae conſiſtentiae maſſam cogatur; oleum vero excedens, debita pulverum, aut cerae quantitate adhibita, abſorbeatur, inſpiſſetur.

III. Si unguentum, coctione praegreſſa, fieri debeat, quae de conficiendis oleis per decoctionem (§. 116.) dicta ſunt, hîc denuo memoranda; picis dein, cerae, & reliquorum igne liqueſcentium data quantitas addatur, liqueſcat, ad perfectam humiditatis abſumptionem tractetur: huic demum miſcellae adhuc tepidae, longe ab igne, pulverum (ſi addenda) praeſcripta quantitas ſub continua forti, & indefeſſa cum ſpathula agitatione paulatim, & ſucceſſive adjiciatur ad refrigerium uſque.

IV. *Nutriti* parandi modum ex ipſa data (§. 245.) definitione innotuit.

V. *Balſama odorata* ſpiſſiora ſi paranda ſunt oleo cuidam viliori, & inodoro, vel oleo Nuciſtae expreſſo (ob communiſſimam huic ſcopo applicationem *corpus pro balſamo* nuncupato,) reliqua aromatica remote ab igne admiſceri debent, debita proportione, & modo. Alia ſunt, quae oleis conſtant ſoluto ſulphure, ſuccino, ſale ſaturni, & ſimilibus impraegnatis, plus, minusve ad ignem denſatis.

VI. Si *Pomatum* fieri decernitur, liquatis liquandis, ignis leniſſimi ope, ſi aliqua ſubſtantia humiditate non permiſcenda pollet, eadem lege (§. 116.) difflari debet. Si vero aquae purae, aut deſtillatae quantitas pro lavando, & dealbando pomato adhibenda, tandiu diuturna trituratione opus eſt, donec expectatum obtineamus eventum.

VII. Cùm triplicis conſiſtentiae materia, liquida videlicet, ſicca,

ſicca, & media, unguenta ingrediatur, debitae conſiſtentiae limites ingredientium juſta proportione definiti vix aſſignari queunt. Mollia quacumque fere portione debite coeunt. Pro olei uncia una cerae, aut ſimilium drachmae duae ad tres verum unguentum conſtituent; cui, ſi addendi pulveres, aut alia ſicca materies, cerae minuenda quantitas, vel per *ſ. q.* determinanda. *Nutrito* aequalis olei, & aceti plumbi partes idoneae ſunt: quae melius in unguentorum practica compoſitione addiſcuntur.

DE EMPLASTRO.

§. 248.

AD unguenti naturam proxime accedens *Emplaſtrum*, eſt medicamentum externum, ex pingui materia maxime coallitum; frigore cohaerens, ſolidum, haud tamen

tamen friabile ; calore molleſcens, ductile, glutinoſum, adhaerens, liqueſcens, ſupra alutam, aut pannum extendendum, applicandum in varios uſus.

§. 249.

Pro diverſa duritie, aut mollitie *emplaſtrum*, aut *ceratum ſolidum* nuncupatur ; item *ceratum* dicitur, ſi ſimpliciter molliuſculum ſit. *Dropax* vocatur, ſi potiorem partem pro baſi picem habeat : *cereolus*, ſi panno exceptum in ſe convolvatur.

§. 250.

Conflatur ex pingui, oleoſa liquida, ſpiſſiori, tenaci, dura, & frigore cohaerente materia liquores aquoſos, ſuccos, balſama, ſpiſſa, gummoſa, reſinoſa, ſaponem, extracta, & demum ſiccos vegetabilium, animantium, foſſi-

foſſilium pulveres, ut & calces metallicas exceptura.

§. 251.

Hoc propemodum modo fiunt: I. Emplaſtra, quorum baſim conſtituunt cera, pix, ſebum, & reſinae tantum, eodem, ac unguenta ſimpliciter mixta, (§. 247. II.) aut cocta (ibid. III.) modo fiunt; cum differentiae ratio à ſola cerae aucta quantitate mox dicenda pendeat.

II. In eis autem, quae plumbi calces ingrediuntur, parandis, lithargyrum ex. gr. una cum olei praeſcripta quantitate, aquae fontanae modicae copiae admiſcetur. Igne ſubſtracto continua cum ſpathula lignea agitatio inſtituitur, ne lithargyrum fundo vaſis adhaereat; aquae prima quantitate pene abſumpta, alia de novo calida ſemel, & iterum addatur, donec intima calcis cum oleo, & axun-

axungiis mixtio evadat, & perfecta illius coctio facta ſit, his ſignis dignoſcenda: 1°. mixtio è rubra albida ſenſim fit; 2°. calx metallica non amplius apparet; 3°. tantillum mixtionis aqua frigida immiſſum, & refrigeratum cerae intra digitos mollis redditae conſiſtentiam habet; 4°. humiditate penitus abſumpta, liquida perſtat; 5°. ſi ſpathula concutiatur, elevantur ſpumoſi flocculi, ſaponis aqua diluti, & concuſſi ad inſtar. Tum denique cera, pix, ſebum, gummi, reſinae, pulveres adduntur, eodem pene modo, ac (§. 247. II. III.) dictum eſt.

III. Ordo autem miſcellae pro omnibus taliter fit, ut 1°. pinguia cum tenacibus prius liquentur. 2°. Olea, & caetera liquida calefacta admiſceantur. 3°. Gummi-reſinae, aceto, aut terebinthina prius ſolutae, addantur. 4°. Evaporatione humidi ſuis ſignis

gnis (§. 116.) nota, & peracta, pulveres paulatim ſub continua, & forti cum ſpathula agitatione adjungantur, emplaſtro calido adhuc; eoque tandem 5°. penitus frigefacto, volatilia.

IV. Si mercurius addendus ſit, hic prius terebinthina ſubigendus, donec globuli evaneſcant, caeterisque dein miſcendus, igne leniſſimo.

V. Ingredientium proportio à varia emplaſtri requiſita ſpiſſitudine, aut duritie pendet, ita fere determinanda, ut pro molliori emplaſtro olei uncia una, cerae tantumdem, & pulverum ſemuncia adhibeatur. Pro emplaſtro mediae conſiſtentiae, olei eâdem data quantitate, cerae ſexquiuncia, & pulverum ſex drachmae recipiantur. Et pro duro una olei uncia, cerae uncias duas, unamque pulverum unciam excipiat: analogia ſemper animadverſa, inter olea, & aliam quamcunque

cunque pinguem materiam, ceram inter, & reſinas, & ſ. p.

VI. Optime parati emplaſtri conditiones ſunt homogenea, & aequabilis miſcella; conſiſtentia frigore ſicca, digitis non adhaerens; dum interim ſequax ductilitas leni calore aſſequenda, & lenta, adhaeſiva tenacitas non deficiunt.

VII. Solidiora emplaſtra in fruſtra aequalis magnitudinis diviſa, & malaxata in cylindraceas maſſas, (*magdaleones* appellant,) ſupra politum marmor aqua irroratum efformantur; & papyro utraque extremitate ſupra ſe convoluta teguntur, aſſervantur.

§. 252.

Cereoli autem, ſive candelae, aut candelulae nuncupati hoc fiunt modo:

Maſſae emplaſticae liquatae tenuiſſimum linteum (in ligulam prius

prius lata praeditam baſi, & acutiſſimo vertice efformatum) immittatur, ut fiat *ſparadrapum*; hocque non omnimode refrigeratum ſub digitis in ſe convolvi incipiat, ac dein inter duos aſſeres, aut lapides politos ſub continua, & aequabili rotatione laevigetur, & in candelam variae longitudinis, & craſſitiei pro vario uſu, & varia cavitatis urethrae, cui dicantur, amplitudine fiat.

MEDI-

MEDICAMENTORUM

VARIAE DENOMINATIONES

Diverſis eorum formulis accommodatae, juxta data praecepta concinnandis, intelligendis.

§. 253.

Adspergo, ſeu Aspergo: dicitur pulvis tenuis ſuperficiei corporis externae, nulla certa doſi, aut pondere, ſed pro loci amplitudine, varia quantitate, applicandus. Secundum leges circa *Pulveriſationem* (§. 46. —) datas praeſcribitur, & fit.

Anacollema vid. Frontale.

Antemeticum: vocatur medicamentum, quod vomitum nimium compeſcit.

Apo-

Apophlegmatisans, ſeu *Apophlegmaticum*, aliàs *Apophlegmatiſmus* dicitur medicamentum externum, cujus actione ſaliva, & mucus oris, & vicinarum partium ſolvitur, elicitur, evacuatur. Triplex ipſi forma eſt 1°. *liquida*, ſi ex ſuccis (§. 52.) Infuſis (§. 107. — 111.) Decoctis (§. 113. —) Mixturis (§. 206.), aut aliis liquoribus officinalibus fiat. 2°. *Mollis* ſi ex Electuario paretur (§. 220.) 3°. *Sicca*, ſi fumi ſpecie (vid. Suffitus) ore hauriendi, Trochiſci (§. 231.) Rotulae (§. cit.) pulveris item ſicci (§. 46. —), ſalini, acris; in nodulo; aut cum liquido congruo in paſtillos; morſulos; maſticatoria; trochiſcos efformati, adhibeatur. Delectum ſubſtantiarum indicatio, & cognita remedii vis ſuppeditant.

Artomeli: cataplaſma crudum (§.

(§. 240.) ex ſola panis mica, & melle factum.

Aviculae cypreae Baculi	vid. Suffitus.

Balneum: Medicamentum externum liquoris, aut vaporis humidi ſpecie univerſo corpori, aut alicui tantum ejus parti adplicandum. Hinc in humidum, & vaporoſum, univerſale, & partiale diſpeſcitur. *Humidum* prouti variis partibus, & vario modo applicatur varia ſortitur nomina. *Univerſale* Balnei propriam ſibi vendicat denominationem. *Inſeſſus*, *Inſeſſio*, *Semicupium* erit, ſi dimidium tantum corpus à cordis ſcorbiculo, aut umbilico ad crura, vel ad pedes uſque immergatur: ſi pedes tantum, *Pediluvium*; ſi capiti applicetur, *Capitiluvium*; ſi aliis partibus *Lotio*, *Lavatio*, *Lavamentum*; ſi guttatim,

tatim, aut continuo rivulo ad maiorem, aut minorem altitudinem *Embroche*, *Stillicidium*, *Impluvium*, *Gutta*, *Duccia* audit. Paratur ex aqua ſimplici, ſalſa, thermali: lacte, & ejus ſero, aqua permixta lacti, oleo pingui, vino, aceto, decocto furfurum; partium animalium Decoctis officinalibus (§. 113.) Infuſis, (§. 107. —) Mixturis (§. 206. —) &c. Delectus medicamentorum, & forma ex medica intentione deſumuntur. Ordo, proportio, doſis, ex dictis patent.

Bochetum: iterata decoctio ex prioris reſiduo.

Claretum: Infuſio aromatum in aqua ſimplici, aut ſtillatitia, vino, aut ſpiritu vini, multo, addito ſaccharo, depuratione limpidiſſima reddita, jucundiſſima. *Nectar* item, & vinum *Hippocraticum* appellari conſuevit.

Clysma, *Clyſter*, *Clyſterium*; *Enema*: liquor ſiphonis ope inteſtino recto evacuandi, alterandi, vel etiam injiciendi fine injiciendus. Excipientium, & excipiendorum electionem determinant varius ſcopus, cognita materiae virtus, facilis parabilitas. Ordinem dictant, & proportionem de Infuſis (§. 107. —) Decoctis (§. 113. —) & Mixturis (§. 206. —) dicta. Doſim indigitant aetas, aegri conſtitutio, medica intentio.

Collutorium vid. Gargarisma.

Collyrium: Medicamentũ externum oculis applicandum varia ſub forma pro vario ſcopo. Hinc Infuſa (§. 107. —) Decocta (§. 113. —), Mixturae (§. 206.—), Cataplaſmata (§. 237. —) cocta, & cruda; Linimenta (§. 241. —)

Un-

Unguenta (§ 244. —), quin & pulveres tenuiſſimi (§. 46. —), *Sief* Arabibus dicti materiam praebent, ex ampliſſimo Materiae Medicae penu, & intentione medica eruendam.

CUCUPHA: eſt Epithema ſiccum vid. EPITHEMA.

DIACLYSMA vid. GARGARISMA.

DIAPASMA idem quod ADSPERGO.

DUCCIA vid. BALNEUM.

EMBROCATIO, EMBROCHE vid. BALNEUM.

ENEMA vid. INJECTIO.

EPICARPIUM eſt cataplaſmatis ſpecies, aut emplaſtri, quod pulſibus, ſeu carpis manuum applicatur. Vid. EPITHEMA, CATAPLASMA (§. 237. —)

Epispastica. Medicamenta externa liquidum in partem, cui applicantur, derivantia. *Attrahentia* quoque dicuntur. Ex cataplaſmate (§. 240.) crudo, unguento (§. 244. —), vel emplaſtro (§. 247. —) fiunt; hinc *Sinapiſmi* audiunt, ſi tritum eis ſinapi admiſceatur: *Dropaces*, ſi ex pice, ut baſi, coaleſcant; & pro actionis varietate, nunc *Phoenigmi*, *Rubefacientia* nuncupantur, ſi ruborem tantummodo parti inducant; nunc vero *Veſicantia*, aut *Veſicatoria* appellari conſueverunt, ſi cantharidibus, aut ſimili materia accedente veſicas excitent. Delectus hinc etiam patet pro re nata diverſorum medicamentorum, quae acria ſemper in univerſum ſuppeditabunt.

Epithéma, fotus, fomentum ſiccum eſt Pulvis medicatus, qui conſuto plerumque panno incluſus,

ſus, externae corporis ſuperficiei apponitur, cui varia forma, & applicationis modus, & corporis pars, cui applicatur varium conciliarunt nomen *Sacculi*, *Sacci*, ſi hac ſit forma; *Cucuphae*, & *Cuculli*, ſi capiti applicandum; *Frontalis*, ſi fronti; *Scuti*, ſi ſcorbiculo cordis, aut regioni epigaſtricae; *Lectuli*, ſi univerſo corpori; *Pulvinaris*, ſi capiti ſubſternatur. Materiam praebent craſſiores pulveres ex debitis ſubſtantiis facti, nulla certa doſi. *Liquidum* Epithema praebent liquores medicati ſimplices, & compoſiti calide, aut frigide corpori applicati, & aliquandiu retenti. Tales ſunt aqua, lac, vinum, ſpiritus vini, ſucci liquidi, oleum, urina, infuſa, decocta &c. &c. ſimilia. *Molle* conſtituunt cataplaſmata (§. 237.—) cocta, & cruda (§. 240.). In univerſum ſic dicitur medicamentum externum non unguinoſum, nec

 emplaſ-

emplaſticum externae corporis ſuperficiei adplicandum ſub triplici dicta forma *ſicca*, *liquida*, *molli*.

Errhina vid. Nasalia.

Fomentum vid. Epithema.

Fricium, vel Fricatorium, quod ſuperficiei corporis externae fricandae dicatur; *ſiccum* ſtrigilis, panno, aut ſimilibus, fumo interim aromatico applicato; *molle* ex unguentis (§. 244. –) linimentis (§. 241. –) balſamis (§. 245.) odoratis ſolidis: *liquidum* ex tincturis, balſamis liquidis (§. 118.) mixturis contractis (§. 209.) & ſimilibus paratur.

Frontale liquidum, aut ſiccum vid. Epithema. Si adſtringens eſt dicitur *Anacolema*. Si roſas, & acetum recipit *Oxyrrhodinum*.

Glans

GLANS SUBDITITIA vid. SUPPOSITORIUM.

GARGARISMA, medicamentum liquidum faucibus, & adjacentibus partibus gargariſando colluendis dicatum. In hoc autem à *Collutorio* tantum differt, quia gargariſatio accedit. Fit ex ſuccis expreſſis (§. 52.), infuſis (§. 107. —), decoctis (§. 113. —), emulſionibus (§. 201.—), mixturis (§. 206. —) ex variis pro diverſa intentione medicamentis ſimplicibus coalitis. *Diaclyſma* etiam dicitur.

IMPLUVIUM vid. BALNEUM.

INJECTIO, ſive ENEMA, medicamentum forma liquida in cava corporis, ſive naturalia, ſive praeter naturam facta ſiphone injiciendum: & ex ſuccis (§. 51. —), Infuſionibus (§. 106. —), Decoctioni-

ctionibus (§. 113.—), Emulſionibus (§. 201. —), Mixturis (§. 206. —) ſecundum variam indicationem, & cognitam materiae virtutem medicatam factum, nulla determinata doſi limitatum, ſed, pro re nata, maiori, minorive.

Incessus, Incessio vid. Balneum.

Lectulus vid. Epithema.

Lotio, Lavatio, Lavamentum vid. Balneum.

Nasalia, medicamenta naribus admovenda, ſive ſternutationis, ſive ſuaveolentiae ſcopo. Haec *odoramenta* audiunt: illa *errhina*, ſive *ſternutatoria*, ſive *ptarmica*. Triplici ſub forma exhibentur, *liquida* ex ſuccis (§.52.), Infuſis (§. 107.—), Decoctis (§. 113.—), Mixturis (§.206. —), &c. *Mollia* ex electariis (§. 220. —) lini-

linimentis (§. 241.—), unguentis (§. 244.—), balſamis (§. 117.. 245.); & *ſolida*, *ſicca*-ve ex pulveribus (§. 46.—), ſuffitu (vid. ſ. l.) varia ſub forma, nunc ſimplici, nunc vero aliis medicamentis immixtis, in variam figuram efformatis, parata: vario hinc modo applicanda.

NODULUS vid. SUPPOSITORIUM.

OXYRRHODINUM vid. FRONTALE.

PASTA vid. EPISPASTICA.

PEDILUVIUM vid. BALNEUM.

PESSARIUM, PESSUS, TALUS, medicamentum externum in conulum formatum pollicis craſſitie, ad baſim rotundatum longitudine digiti indicis, è variis factum, muliebri vaginae immittendum: ſuppoſitorio ſimile. Vid. SUPPOSITORIUM.

PHOE-

PHOENIGMUS vid. EPISPASTICA.

PULVINARE vid. EPITHEMA.

RUBEFACIENTIA vid. EPISPASTICA.

SACCULI vid. EPITHEMA.

SCUTUM vid. EPITHEMA.

SEMICUPIUM vid. BALNEUM.

SINAPISMUS vid. EPISPASTICA.

SPARADRAPUM, SPANADRAPUM, *Tela emplaſtica* dicitur, ſi pannus, aut corium ſuperpoſitum emplaſtrum habens, eo utrimlibet obducatur.

SUPPEDANEA idem ac *Epicarpium*, ſed plantis pedum adplicandum.

SUF-

SUFFITUS, ſeu SUFFIMIGIUM medicamentum ſiccum igni admovendum, ut in vapores abeat, & vel in aëra diffundatur deliciarum ergo, vel ad ſuperficiem corporis aegroti externam applicetur. Forma ei ſicca, cohaerens, aut pulverulenta: hinc variae denominationes à variis figuris ſunt: *Trochiſci*, *Paſtilli*, *Bacculi*, *Candelae*, *Aviculae Cypriae*, *Tedae*. Unde etiam, quae materia iis ſit, evidenter patet.

SUPPOSITORIUM, medicamentum plus, minus-ve ſolidum, rotundum, aut ex oblongo-teres globuli, conuli, vel glandis forma ano, vario ſcopo, intrudendum. Ex ſimplici, aut compoſita materia fit. *Simplex* materia ſolam debitam requirit configurationem, eritque petenda ex ſaccharo pyramidali; ſapone Veneto; ſebo; candela cerea, oleo, aut

aut butyro illita ; melle ad duritiem cocto ; butyro cacao ; rapae radice , & ſimilibus. *Compoſitam* intentio medica , & cognita remedii ſcopo reſpondens vis, in formam duram emplaſtro aemulam effícti, determinant. *Balaniſmus* , *Glans ſubdititia* , *Nodulus inteſtinalis* etiam audit.

Tragea , idem ac *Pulvis* (§. 50.) compoſitus interne ſumendus , aut externe ſacculo , fumo &c. applicandus. Idem quoque ſonat *Tragema*.

Vaporatio , ſeu Balneum vaporosum , medicamentum externum vaporũ ſpecie ſiccorum , aut humidorum applicandum. Prius *ſuffimigia* (vid. Suffitus) parant : poſterius ex omni liquore per ignem in vapores reſoluto fit. Materia igitur *ſimplex* , ut lac , ejus ſerum , aqua , vinum , acetum , ſpiritus vini , urina , & ſimilia ;

milia ; aut *compoſita* erit ex Infuſis (§. 107. –), Decoctis (§. 113. –), Mixturis (§. 206. –) &c. &c. vario calore, & modo applicanda.

VESICANTIA, VESICATORIA, vid. EPISPASTICA.

§. 254.

§. 254.

(1) *Veterum Romanorum, & Atticorum uſitatiora pondera medicinalibus Luſitanorum accommodata.*

	Sign.
Centumpondo	
Dupondium	*pp.*
As, Libra, Aſſarius	*p.*
Deunx	S===
Dextans	S==
Dodrans	S≡
Bes	–S–
Septunx	V

Se-

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
90	3	2	2	
1	9	5	1	
	10	6	2	
	9	7	1	8
	9			16
	8	1		
	7	1	2	8
	6	2	1	16

	Sign.
Semiſſis	SS
Quincunx	=-=
Triens	==
Quadrans	=-
Sextans	=
Uncia	ʒ
Duella	
Sicilicus	Ɔ9
Sextula	
Denarius	
Drachma / Holce	∠

Scri-

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
	5	3	1	
	4	4		8
	3	4	2	16
	2	5	2	
	1	6	1	8
		7		16
		2	1	$5\frac{1}{3}$
		1	2	10
		1		$14\frac{2}{3}$
		1		$2\frac{2}{7}$
			2	17

	Sign.
Scriptulum / Scrupulum (brace)	℈SS
Obolus	C'
Siliqua	N

(2) *Pondera Graecis uſitata.*

	Sign.
Ταλαντον	
Μνᾶ	μ^{ν}
Δραχμὴ	< (brace)
Ὁλκη	ϒο (brace)
Γραμμα	ΓΡ
Ὀβολος	Ϋω

Κερα-

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
.	.	.	.	$21\frac{2}{3}$
.	.	.	.	$10\frac{5}{6}$
.	.	.	.	$3\frac{11}{18}$

Lib.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
71	9	.	2	16
1	2	2	2	$10\frac{2}{3}$
.	.	1	.	$10\frac{2}{3}$
.	.	.	1	$3\frac{5}{9}$
.	.	.	.	$13\frac{7}{9}$

	Sign.
Κεϱατιον	Κ with ε above
Χαλκος	χ^{α}

(3) *Antiquae apud Romanos, & Atticos fluidorum menſurae.*

	Sign.
Culeus	
Amphora, Cadus, Quadrantal	q̶
Urna	q̶ S
Modius	
Congius	Ɛ
Sextarius	∂

He-

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
				$2\frac{3}{4}$
				$1\frac{3}{8}$

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
1377	9	2	2	
68	10	5	1	
34	5	2	2	12
22	11	4	1	8
8	7	2	2	
1	5	1	2	8

	Sign.
Hemina	∂S
Quartarius	Q
Acetabulum	
Cyathus	Kʸ cv
Ligula	

(4) *Fluidorum menſurae apud Graecos.*

	Sign.
Μεδιμνος	μ^{ε}
Καδος Μετρητης	Κρμ
Χους Χοη	χ^{o}

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
	8	4	2	16
	4	2	1	8
	2	1		16
	1	3	1	$10\frac{2}{3}$
		2	2	$14\frac{2}{3}$

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
137	9	2	2	
86	1	2	2	
	7	2	2	

	Sign.
Κοινιξ	οι νχ^αι, χ^υ
Ξεστης	ξε
Κοτυλη	κ^ο
Τετραρτον	ξ^ο
Οξυβαφον	ξ^ο
Κυαθος	κ^υ
Κογχη	
Μυστρου	μ^υ
Κημη	κ^ε χ^η
Κοχλεαριον	

Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gr.
2	10	3	1	16
1	5	1	2	8
	8	4	2	16
	4	2	1	8
	2	1		16
	2	1		16
	1		1	20
		4		22
		2	2	$14\frac{2}{3}$
		1	1	$7\frac{1}{3}$

Apud Galennum, & Senertum horum ponderum, & menſurarum Romanis, & Graecis in uſu diverſitates, & valor videri poſſunt; uti etiam apud Cl. Spielmannum Ph. General. 1783. Arabum Recentiorum, & Latino-Barbarorum pondera atque menſurae, quas ſilentio praeterire minime pudet, quoniam horum libros evolvere pauci ſunt, qui hodie velint, dum praeſtantiora apud Cl. Cl. hujus ſaeculi AA. reperiuntur.

(5) *Librarum civilium diverſitas hodiedum in Europa.*

	Lib.	Unc.	Drach.	Gr.
Amſtelodamenſis	1			42
Argentoratenſis		15	5	15
Berolinenſis		15	2	32
Bernenſis Pariſinae ſimilis				

Co-

	Lib.	Unc.	Drach.	Gr.
Colonienſis		15	2	$13\frac{1}{2}$
Dantiſcana		15	2	$73\frac{1}{2}$
Florentina		11		50
Francofurtana ad Moenum		15		10
Genevenſis				18
Genuenſis		10	5	60
Haffnienſis		15	3	$20\frac{2}{3}$
Hamburgenſis		15	2	$14\frac{1}{2}$
Holmienſis		13	7	8
Lisbonenſis		16		
Londinenſis		12	3	12
Lugdunenſis		13	4	48
Matritenſis		15		16
Manhemienſis		12	2	$20\frac{1}{2}$

Maſſi-

	Lib.	Unc.	Drach.	Gr.
Maſſilienſis		13	7	62
Medica Anglica pro ſiccis		12		
pro liquidis		16		
— Germanica, — Luſitana, — Svecica, pro ſiccis, & liquidis		12		
Milanenſis		9	3	
Monachienſis		15	2	23
Neapolitana		10	7	54
Romana		11		50
Varſovienſis		10	4	24
Veneta		8	6	
Viennenſis	1	2	2	32

Londinenſis, Genuenſis, Florentina uncia, necnon Neapolitana, Romana, & Luſitana duodecimam librae partem aequat, quam Noſ-

Noſtrates *Medicam* ſalutant.

Gallorum Pinta duplicem *Pintam* Anglorum continet, quod bene notandum.

Ignorantiae deberi ponderum, & menſurarũ apud veteres Graecos, Romanos, & Arabes uſitatorum incertitudinem nihil vetat judicare. Acrius autem dolendum eſt, *quod* (ait Cl. GAUBIUS *de meth. concinn. form. medicam.*) §. III. I.) *etiam hodie inter menſuras, & pondera in diverſis locis apud Medicos uſitata non minor certe varietas, & confuſio, quam olim, luxuriet: quaſi non plus ſatis conjecturarum in arte noſtra detur, ut etiam haec ambiguitas, quam tollere facillimum foret, accedere debeat.*

§. 255.

§. 255.

CHARACTERES

Apud Medicos, & Chemicos AA. ſaepius occurrentes.

Acetum }
Acidum vegetabile } . . . : 🜊

Acetum deſtillatum . . . . 🜋 ✳

Acidum in univerſum . 🜊.⊻

——— muriaticum . . +⊖.⊻⊖

——— Nitri . . . . . +⦶.⊻⦶

——— Vitrioli . . +🜖.⊻🜖

Aër . . . . 🜁

AEs. Cuprum. Venus . . . ♀

——— Uſtum . . . . ♀

Al-

Alcali . . , ... ♀ ☋

Alcohol vini . . . . . 🜁 🜁

Alembicum . . . . 🝪

Alumen . . . . O

Amalgama . . . . āāā

Antimonium. Stibium . . . ♁

Antimonii regulus . . ♔ ♁ü

Aqua . . . . ▽

Aqua fontana . . . . . . ▽font

—— fortis . . . . 🜅

Aqua pluvialis . . . . . . ▽P

—— Regia . . . . 🜆

—— Vitae . . . . 🜈

Are-

Arena . . . . ∴

Argentum. Luna . . . . . . ☾ ☽

Argentum vivum. Mercurius ☿

Arſenicum . . . . o‒o 🜺

Auripigmentum . . . . o=o 🜽

Aurum. Sol . . . . ☉

Balneum arenae . . B. ∴ AB AR

—— Vaporis . . . . VB

—— Mariae. Maris . B. M.

Borax . . . . 🜼

Calx in genere . . . . C.

—— metallica . . . . C. M.

Calx viva . . . . 🝁

Cancer . . . . ♋

Caput mortuum . . . . 🝎

Chalybs. Ferrum. Mars . . ♂

Cineres

—— Clavellati . . . . 🝗

Cinnabaris . . . . 🜓🜓🜓

Cornu Cervi . . . . . . C. C.

—— Uſtum . . C. C. V.

Crocus Martis . . . . C·♂

—— Veneris . . . . 🜐

Cucurbita . . . . 🝪

Crucibulum . . . . 🝧🝦

Cu-

Cuprum vid. AEs . . . .

Deſtillare . . . . . . [illegible]

Dies . . . . σ

Dies & Nox . . . . σρ

Ferrum vid. Chalybs.

Fixum . . . . ∀

Flores . . . . Fl.

Gummi . . . . G.

Herba . . . . Hb.

Hora . . . . ⧗

Hepar ſulphuris . . . . . ☋🜍

Ignis . . . . Δ

—— Reverberii . . . 🜂R

Ju-

Jupiper. Stannum . . . . . ♃

Kobaltum . . . . K.

Magneſia . . . . M

Maſſa pilularum . . . . . . ℳ

Mercurius praecipitatus ☿ ☿ ⏄

——— Sublimatus . . ☿ ☿ ♎

Menſis . . . . ⊠

Nitrum . . . . ⦶


Nox . . . . ☊

Numero . . . . N.°

Oleum . . . . ⚯

Per deliquium . . . . p. d.

Phiala . . . . ♁

Phlogiſton	
Plumbum. Saturnus	♄
Praeparare	ppt
Pulvis	
Quantum placet	*q.p.*
Quantum lubet	*q. l.*
Quantum vis	*q. v.*
Regulus	
——— Stellatus	
——— Antimonii ſtellatus	
Retorta	
Sal in genere	⊖
Sal Alcali vid. Alcali	

fi-

Sal fixus . . . . ⊖▽

—— volatilis . . . . .

—— ammoniacus . . . ✳

—— gemmae 8

—— ſedativus . . . . . S. S.

Sal volatilis . . . .

Sapo . . . . □

Saturnus vid. Plumbum . .

Signa . . . . S.

Sine vino . . . . S. V.

Sol. vid. Aurum . . . . .

Spiritus . . . . Sp.

—— vini . . . .

Sp. vini rectificatus . . . . . SVR

Stannum. vid. Jupiter .

Spiritus vini alcoholiſatus SVA

Stratum ſupra ſtratum . S.S.S.

Subſtantia metallica . . . S.M.

Sublimare . . . . 🝞

Sulphur . . . . 🜍 🜎

Talcum X

Tartarum . . . . 🜿

Terra . . . . 🜃

——— argillacea . . . . . 🜃

——— calcarea . . . . . . 🜃

——— gypſea . . . . 🜃

ſili-

Terra ſilicea vitrificibilis 🜃⊖

Tinctura . . . . ℞

Tutia . . . . ⊠

Venus. vid. AEs . . . . . .

Vinum . . . . V.

Viride aeris. Aerugo . . . ⊕♀

Vitriolum . . . . 🜖

—— Cupri
—— Coeruleum } . . . 🜖♀
—— Veneris

—— Ferri
—— Viride } . . . 🜖♂
—— Martis

Vitriolum Zinci ——— Album	} . .	⊕ X.
Vitrum		-oXX
Volatile		♈A
Urina		⊡
Wiſmuthum Biſmuthum	} . . .	W
Zincum		X.☡

IN-

INDEX.

PROLEGOMENA §. 1

PARS I. *Vaſa, & inſtrumenta Pharmaceutica.* 6
De ponderibus, & menſuris, atque eorum hyeroglificis caracteribus 9
Simplicium collectio, repoſitio, duratio. 24

PARS II. *De praeparationibus Pharmaceuticis.*
PULVERISATIO. 44
EXPRESSIO. 51
DEPURATIO. 64
EVAPORATIO. 74
SOLUTIO. 79
CRYSTALLISATIO. 97
PRAECIPITATIO. 100
EXTRACTIO. 103
Extracta liquida.
A. *Infuſio.* 106
I. — *Vegetabilium in aqua.* 107
II. — — *in aceto, ſive*

Aceta

Aceta medicata. §. 109
III. — *Vinoſa, ſeu vina medicata.* 110
IV. — — *Oleoſa, ſive olea per infuſionem* 112
B *Decoctio* 113
Olea per decoctionem 116
C *Tincturae, Eſſentiae, Elixiria, Balſama odorata liquida.* 118
Extracta ſolida.
I. *Aquoſa, ſive gummoſa, mucilaginoſa, gelatinoſa.* 120
II. *Spirituoſa, ſive Reſinoſa.* 127
III. *Aqueo-ſpirituoſa, ſive gummeo-reſinoſa.* 129
DESTILLATIO. 132
I. *Aquae deſtillatae ſimplices, & compoſitae.* 136
II. *Spiritus inflammabiles, & rectores.* 139
III. *Aquae ſtillatitiae ſpirituoſae.* 141
IV. *Olea eſſentialia deſtillata.* 143
V.

V. *Spiritus, & ſales alcalini volatiles, horumque cum ſpiritibus inflammabilibus, oleis eſſentialibus, & reſinis combinatio.* §. 151
VI. *Olea empyreumatica.* 154
VII. *Spiritus acidi.* 160
VIII. *Spiritus acidi dulcificati.* 163
IX. *Mercurius deſtillatus redivivus, & Antimonii butyrum.* 165
SUBLIMATIO. 169
CALCINATIO. 172
FUSIO. 180
VITRIFICATIO. 181

PARS III. *De medicamentorum compoſitione, & mixtione.* 181
De Saponibus. 183
De Speciebus. 192
De Syrupo, Melle, & Oxymelle. 195
De Looch. 198

De

De Emulſione. §. 201
De Mixtura. 206
De Conditis. 213
De Conſervis. 214
De Electuario. 220
De Pilulis. 227
De Trochiſcis. 231
De Cataplaſmate. 237
De Linimento. 241
De Unguento. 244
De Emplaſtro. 248
Medicamentorum variae denominationes diverſis eorum formulis acommodatae juxta data praecepta concinnandis, intelligendis. 253
Veterum Romanorum, & Atticorum uſitatiora pondera medicinalibus Luſitanorum accommodata. 254 (1)
Pondera Graecis uſitata. *ibid.* (2)
Antiquae apud Romanos, & Atticos fluidorum menſurae. *ibid.* (3)
Flui-

Fluidorum menſurae apud Graecos. ibid. (4)
Librarum civilium diverſitas hodiedum in Europa. ibid. (5)
Characteres apud Medicos, & Chemicos AA. ſaepius occurrentes. 255

Errata	ſic	Corrige.
Pag. 3	quinimmò	quinimò
19	Quatnum	Quantum
21	*Salva hortenſe*	*Salſa hortenſe*
24	*praetioſorum*	*pretioſorum*
69	exſurgat	exurgat
106	(§. 91.)	(§. 92.)
109	percribantur	praeſcribantur
187	enim & vero	enimvero
194	eo & quod	eoquod
210	ſub & tripla	ſubtripla
250	fruſtra	fruſta

Quae levioris momenti irrepſerunt errata L. B. facile emendabit.